~~[illegible]~~

1) Nonij Tapa cf. quod fr. ad Massinis vitam ferat. p. ....

2) Nigidij laud. Don.[a] Phormio 1,4,4 ubi Nigidij celari quaerit, utrum sit plenum an perfectum cf. ibid. v. 14 ad hoc potius, in pedagogo potissimum fuit et sic Nigidij legit. cf. ibid. 2,1 quod observatio ... grammatica.

3) L. Aelius stilo ~~dicunt~~ leporem ~~[illegible]~~ levi, pedem esse intendit. Varro de R.R. 3,12,6.

4) Fabr. B. Gr. l. p. 366. laud. Eugenii praef. ad Dracontii Hexaemeron

Tucca Varius Plotius.

cf. Capponi edit p. 29.

5) Apud Calvum Aelius affirmat legendum –

15.8.470

15. 8.470.

Digitized by Google

682

IO. ERNEST. IMMAN.
WALCHII

DE

ARTE CRITICA
VETERVM
ROMANORVM
LIBER

EDITIO TERTIA

IENAE
SVMTIB. IO. FRIDR. GOLLNER
CIƆIƆCCLXXI

LECTORI BENEVOLO

S

In hoc libello argumentum de arte critica veterum romanorum pertractandum ſumſi, quod cur fecerim, haud vna me mouere ratio videbatur. Praeterea enim, quod probe habebam perſpectum, ad liberales diſciplinas aditum longe nobis faciliorem reddi animosque tum demum rite praeparatos ad illas adferri, ſi, quae earumdem fata et viciſſitudines fuerint, quae quauis aetate earum indoles et ratio, quae forma exſtiterit; aut qualis pro temporum diuerſitate habitus, curatius noſcamus; in ipſa certe, niſi me omnia fallunt, artis criticae hiſtoria, curatius indaganda, eſſe aliquid deprehendi, vnde haud exiguus laboris fructus; nec minor ab harum litterarum cultoribus vtilitas queat exſpectari. Quis enim ignorat, praeſtantiſſima veteris Graeciae et Latii inge-

 niorum

niorum monimenta, in quibus maxima eruditionis noſtræ liberalioris pars nititur: vnde, quicquid veteris eſt hiſtoriæ; aut geographiæ; aut antiquitatum; aut priſcæ elegantiæ, velut ex limpidiſſimis fontibus, hauritur, hæc, inquam, monimenta, hos pretioſiſſimos theſauros, criticis olim romanis vnice fere credita commiſſaque fuiſſe? In reſtituendis vero priſcis auctoribus, in indagandis veris eorumdem lectionibus, in ipſis regulis criticis, ad quas, velut ad normam aliquam, examinanda cuncta atque excutienda ſunt, in omnibus his permagni, arbitror, intereſt, ſcire, quomodo tractati priſci auctores ab his criticis ſint, qua ratione in iis conſeruandis et ab interitu vindicandis ſeſe geſſerint, quid emendauerint, quæ habuerint corruptionis indicia, vtrum hæc vera, an falſa fuerint, quam corrigendi inierint viam, quam medicinam locis deprauatis adhibuerint et quæ alia ſunt huius generis. Hæc omnia ſcitu perneceſſaria critico ſunt, ſi optatum laborum ſuorum ſucceſſum ſibi promittere, de priſcis græcis et latinis auctoribus bene mereri, eos in priſtinam integritatem reſtituere et in hoc campo ingenii vires feliciter et cum laude experiri vult.

VERVMTAMEN ea non ſola ſunt, quibus ad laborem hunc ſuſcipiendum perficiendumque ſtimulos admotos mihi ſenſi, argumenta. Vidi quidem, qui in eodem; aut certe parum diſſimili argumento, neque ſine magna laude, ſunt verſati, multos; huius vero generis, cuius ego requi-

requiro et argumenti amplitudo ac dignitas poſtulat, certe neminem. HENRICVS enim STEPHANVS in ſua, quam Pariſiis CIↃ IↃ LXXXVII. in lucem publicam edidit, *diſſertatione de criticis veteribus græcis et latinis eorumque variis apud poetas potiſſimum reprehenſionibus*, non tam hiſtoricum; quam criticum agit, multosque antiquorum ſcriptorum locos, de quibus veteres critici ſententiam ſuam tulerunt, fuſe et cum magno ingenii ac iudicii acumine perſequitur. IO. WOWERIVS ſua, quam *de polymathia* inſcripſit, commentatione multa quidem veterum auctorum de criticis effata; ſed ſine habito delectu, congeſſit; neque in hoc argumento ita eſt verſatus, vt, quæ vera diſciplinæ huius apud veteres fuerit indoles, quæ criticorum cum antiquis auctoribus agendi ratio, quibus porro illi ſubſidiis ac mediis, quibusue principiis vſi ſint, rite et, vti decet, cognoſci ex illo poſſit. In eumdem cenſum quodammodo cadit DANIEL HEINSIVS, vir ceteroquin doctiſſimus, et in criticorum, quos recentior tulit ætas, ordine nemini facile ſecundus. In ſua enim, quam *Ariſtarcho ſacro*, Lugduni Batauorum CIↃ IↃ CXXVII. iuris publici facto, præmiſit, *diſſertatione de veræ criticæ apud veteres ortu, progreſſu vſuque cum in diſciplinis ceteris; tum in ſacris*, non tam de ipſa veterum arte critica huiusque diſciplinæ olim facie ac habitu; quam de eius antiquiſſimis temporibus, a theatris repetenda, origine commentatus eſt. Quæ porro ad initium *artis criticæ*, a CASP. SCIOPPIO

editæ: quæ apud PHILIPPVM CAROLI in *diſſertatione de criticis*, eius *animaduerſionibus in Gellii noctes et Curtii hiſtoriam* præfixa; quæ in PHILIPPI IACOBI MAVSSACI *diſſertatione critica de Harpocratione*, *lexico* HARPOCRATIONIS addita, hac de re habentur, quamuis doctiſſima ſint; neutiquam tamen ipſi argumento eiusque amplitudini, vti par eſt, videntur ſatisfacere, ne dicam, eruditiſſimos hos viros non tam de ipſa apud veteres arte critica; quam de iis, qui in hoc litterarum campo famam et laudem conſequuti olim ſunt, diſſeruiſſe. HENRICI denique VALESII *libri duo de critica*, a cel. PETRO BVRMANNO iuniore vna cum illius *emendationum libris quinque* Amſtelodami CIↃ IↃ CC XXXX. in lucem emiſſi, merito iis ſcriptis accenſendi ſunt, quibus auctores, morte præuenti, vltimam manum imponere haud potuerunt, et quæ per id inchoata ſolum; minus autem perfecta ad nos peruenere. Multa forte vtilia VALESIVS de hoc argumento dixiſſet, ſi *ſecundum librum* ad finem perducere et veram critices indolem veterum criticorum exemplis ac teſtimoniis illuſtratam, ob oculos ponere nobis potuiſſet. Quæ autem in primo libro dicta excuſſaque ſunt, ad veteres græcos et latinos criticos cognoſcendos magis; quam

quam ad eorum diſciplinae rationem, curatius perſpiciendam, faciunt.

PAVCIS nunc accipe, BENEVOLE LECTOR, quae huius opuſculi occaſio fuerit. Anno CIↃIↃCCXXXXVII. edita a me fuerat *diſſertatio de ortu et progreſſu artis criticae apud veteres romanos*, more academico publice defenſa a viro clariſſimo IOANN. GOTTL. OLEARIO, *Sangerbuſano*. Quam quum harum rerum amatoribus haud diſplicere viderem, coeptam telam pertexendam ratus, binas alias, quarum vtraque *de arte critica veterum romanorum* inſcripta eſt, exaraui. Prior anno CIↃIↃCCXXXXVIIII. prodiit, reſpondentis prouinciam adminiſtrante viro praenobiliſſimo, FRIDERICO FRÜCHTENICHT, *Elmesborna-Holſato*. Poſteriorem anno ſequenti vir praenobiliſſimus IOANNES FRIDERICVS THAVERVS, *Kirchhemio-Erfurtenſis* diſſentientium diſquiſitioni ſubmiſit. In illa de meritis veterum criticorum in priſcos auctores eorumdemque criticis officiis ac laboribus, in hac de muneribus, quibus non tam vt critici, ſtricte ſic dicti; ſed grammatici perfuncti ſunt, diſputatum, ac quae totius huius diſciplinae apud veteres romanos indoles fuerit ac ratio, mon-

 ſtratum

ſtratum fuit. Tres iſtae commentationes originem dedere huic, quem vides, libello, BENEVOLE LECTOR. Omnia ſedulo recognoui, quae emendanda viſa, emendaui, reliqua aptius diſpoſui, nonnullaque, quae in prima harum diſſertationum editione deſiderabantur, addidi. TV vero, BENEVOLE LECTOR, fruere noſtris laboribus et, ſi quid erratum videris, humani quid, quod homines ſumus, paſſos nos eſſe, cogita.

Ienae, d. XXVIII. april. CIↃIↃCCLXXI

CAPVT PRIMVM

DE

ORTV ET PROGRESSV ARTIS CRITICAE APVD VETERES ROMANOS.

ΣΥΝΟΨΙΣ

POSTQVAM *artis criticæ indoles monſtrata eſt*, I

Agitur generatim *de origine artis huius, vbi* partim *variæ hac de re eruditorum ſententiæ percenſentur atque examinantur:* II. III

Partim *vera eius initia oſtenduntur.* IIII. V

Speciatim *de eius ortu apud veteres romanos,* VI

Vbi comprobatur, ſero quidem litterarum ſtudia Romæ exculta eſſe; VII

Criticam tamen ſcientiam poſt Ennii tempora a Cratete Mallote Romam ex Græcia delatam eſſe, VIII

Et, poſtquam hoc ex Suetonio aliisque argumentis confirmatum eſt, VIIII. X. XI

De ipſo Cratete Mallote primum *quædam commemorantur:* XII

Deinde *ſtatus artis criticæ Romæ a Cratetis temporibus vsque ad Sullam exponitur* XIII

Ac denique *de cultura artis criticæ priorum imperatorum æuo ita dicitur, vt* partim *cauſſæ inueſtigentur, cur Romæ tantas progreſſiones ars iſta fecerit, in quibus numerantur: romanorum ſtudia,*

 Græco-

græcorum libros legendi: XIIII
Scholæ græcorum criticorum, Romæ inſtitutæ: XV-XVII
Itinera romanorum in Græciam, vbi criticorum recitationes frequentarunt: XVIII
Bibliothecæ erectæ, quarum in critica arte vſus traditur: XVIIII
Romanorum ſollemnes recitationes et in his ſingulares conſtituti iudices: XX. XXI. XXII
Partim *de ſtatu ipſo critices eiusque flore diſſeratur, celebrioresque rom. critici enarrentur* XXIII-XXVI

I

QVVM in præſenti de ortu ac progreſſu artis criticæ apud veteres romanos diſputare, mecum conſtitui, haud abs re fore, iudicaui, quædam de ipſa diſciplinæ huius indole præmittere, vt, quæ olim eius fuerit facies, luculentius cognoſcatur et clariora ea ſint, quæ de ipſo argumento dicere, animus eſt. Varia ratione ars critica definitur ab eruditis, id quod non mirandum, quum ipſi inter ſe de limitibus eius conſtituendis mirum in modum diſſentiant. Nonnulli enim terminos eius late extendunt: immo ſæpe latius; quam æquum eſt, vt IO. CLERICVS *a*) fecit;

a) *art. crit. vol.* 1. p. 1. ſq. In eo enim mihi erraſſe, videtur, quod inter critici officia etiam retulerit, vt facillimam, linguas addiſcendi, viam oſtendat et obſcuriores voces interpretetur; quum tamen illud maiori

cit; alii vero arctiores ei fingunt fines, quamuis inter ſe itidem diſcrepent, vti ex iis adparet, quæ de diſciplinæ huius natura FRANC. ROBORTELLVS *b*), HENR. STEPHANVS *c*), DAN. HEINSIVS *d*), GERARD. IO.

maiori iure ad grammaticorum; hoc vero ad philologorum campum remittere debuiſſet. CLERICVS in iſto libro inſigne alias quidem iudicium; nec vulgarem eruditionem monſtrauit; maiorem tamen conſequutus fuiſſet exiſtimationem, niſi ſe, nonnumquam præoccupatis opinionibus et nimia ingenii fiducia abripi, paſſus fuiſſet. Hinc non aliter fieri potuit; quam vt in variorum incurreret reprehenſionem, nominatim IO. VAN DER WAYEN, et alius anonymi angli, quibus ipſe CLERICVS varia in *Parrhaſianis tom.* 1. p. 425. oppoſuit. Eo et præter alia IO. HENR. MAII *introd. ad ſtudium philologicum et exegeticum*, eius examini *hiſt. crit. textus nou. teſtam. Rich. Simonii* addita, pertinet.

b) *diſſ. de arte; ſiue ratione, corrigendi antiquor. libros*, Patau. CIƆ IƆ LVII. Exſtat ea etiam *tom.* II. *theſaur. critic.* GRVTERI p. 42. et in SCIOPPII *art. crit.* p. 98. Eius præcepta cultori artis criticæ minime ſufficiunt; eum tamen ætatis ratio, qua vixit, ſatis excuſat. Adde: GEORG. DAN. MORHOFIVM *polyhiſtor. litter. tom.* I. *libr*, VI. *cap.* I. §. II. p. 947. ANT. TEISSERIVM *elogiis Thuaneis, tom.* I. p. 310. THOM. POPEBLOVNTIVM *cenſ. celebrior. auct.* p. 693. et ADR. BAILLETVM in *iugemens des ſauans, tom.* II. *part.* 2. p. 204.

c) *diſſ. de criticis veteribus græc. et latin. eorumque variis apud poetas potiſſimum reprehenſionibus*, Pariſ. CIƆ IƆ LXXX. p. 5. ſq. cui et addi poteſt GVIL. CANTERI *ſyntagma de ratione, emendandi græcos auctores*, quod eius *nou. lection.* Antuerp. CIƆ IƆ L XXI. ſubiectum eſt.

d) *diſſ. de vera criticæ*

IO. VOSSIVS *e*), CASP. SCIOPPIVS *f*), HONOR. DE SANCTA MARIA *g*), CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS *h*), IO. LAVRENTIVS MOSHE-

apud veteres ortu, *progreſſu vſuque*, præmiſſa eiusdem *Ariſtarcho ſacro*, edito Lugd. Bat. CIↃIↃCCXXVII. ac deinde cum ipſo *Ariſtarcho* tranſlata in illius *exercit. ſacr.* p. 639. Addita quoque eſt hæc diſſertatio eius *crepundiis Silianis*, Cantabrig. CIↃIↃCCXXXXVI. in lucem emiſſis, p. 153.

e) de *art. grammat. libr.* I. *cap.* 6.

f) *comm. de arte critica*, quæ Noriberg. CIↃIↃLXXXXVII. et Amſtelodam. prodiit.

g) in *reflexions ſur les regles et ſur l' vſage de la critique*, cuius operis tomus primus Pariſiis CIↃIↃCCXIII. ſecundus CIↃIↃCCXVII. tertius Lugduni CIↃIↃCCXX. prodiit. Auctor, quum inter eos eſt, qui præſulem romanum venerantur, non ſemper laudem æqui et ab omni partium ſtudio alieni ſcriptoris ſibi conciliauit. Quum enim ſæpe per artem criticam totæ ineptiarum ac ſuperſtitionum, quibus præſulis romani ſectatores addicti ſunt, cohortes profligari poſſunt, non aperte quidem; occulte tamen vſum ſcientiæ huius in ſacris et eccleſiaſticis ſcriptoribus ſuſpectum reddere, ſibi ſumit aliosque viros longe præſtantiſſimos: LVD. ELLIES DV PIN, PETR. DE MARCA, RICH. SIMONIVM, HENR. VALESIVM, ADR. BAILLETVM, SEB. NAN. TILLEMONTIVM, qui critices ope rite vſi; nec ſe inconſulta erga doctores chriſtianos antiquiores veneratione duci, paſſi ſunt, perſtringit. Alias viri huius ſuperſtitioſas ineptias, quæ in *actis eruditorum* an. CIↃIↃCCXIIII. p. 145. et a venerando auo, IOANN. FRANC. BVDDEO, *iſagog. ad theol. vniuerſam* p. 589. commemorantur, ſilens prætereo.

h) celeberrimus hic vir *diſſert. de arte critic. et ſpeciatim de arte therapeutica*, *parergis criticis*, Ienæ CIↃIↃCCXII.

MOSHEMIVS *i*), HENR. VALESIVS *k*) aliique ſunt commentati. Multi ea, quæ ad pro-
A 3 priam

ↀCCXII. in lucem editis, præmiſit.

i) *orat.* elegantiſſima *de eo, quod nimium eſt in ſtudiis linguarum et critices,* p. 399 eius *obſeruation. ſacrar. et hiſtorico-criticarum,* cui venerandus pater *hiſt. crit. lat. linguæ cap.* VIII. §. 3. p. 502. ſeq. PHIL. IAC. MAVSSACVS *diſſ. crit. in Harpocrat. lex.* p. 398. multique alii addi poſſunt.

k) illius *emendationum libri* V. *et de critica libri* II. poſt mortem demum a cel. PETR. BVRMANNO, FRANC. BVRMANNI nepote, editi ſunt Amſtelodami, CIↃIↃCCXXXX. 4. Duo ſibi in *libris* II. *de critica* perſequenda propoſuerat VALESIVS. In priori enim hiſtoriam artis huius tradere; in poſteriori vero ipſam eius indolem exponere voluit; dolendum vero eſt, eum ob præmaturam mortem ſecundo libro manum vltimam imponere non potuiſſe huncque ad poſteros imperfectum; nec abſolutum perueniſſe. HIERON. VELSCHIVM etiam de critica arte commentari voluiſſe, THEODOR. IANSON. AB ALMELOVEEN *bibliothec. promiſſ. et latent.* p. 130. et DAN. GEORG. MORHOFIVS *polyhiſt. litterar. tom.* I. *libr.* I. *cap.* 7. §. 6. p. 53. teſtantur. Scriptoribus his addendi ſunt: DE LA MOTTE in *reflexions ſur la critique,* Hagæ Com. CIↃIↃCCXV. 8. CAES. VICHARD. de SAINT-REAL in *traité de la critique, tom.* V. eius *operum,* quæ Hagæ Com. CIↃIↃCCXXII. gallice prodiere, p. 233. ſq. PETR. DAN. HVETIVS commentatione, inſcripta: *de la critique et de l'abus, qu' on en a fait,* inſerta *Huetianis,* quæ Pariſiis CIↃIↃCCXXII. lucem publicam viderunt, p. 295. ſq. IAC. LADERCHI libro: *la critica d' oggidi, oſia l' abuſo della critica odierna,* edito a HIER. MAINARDO, Romæ, CIↃIↃCCXXVI. 4. CAROL. POREE *oratione de criticis, tom* II. eiusd *orationum,* quæ Pariſiis CIↃIↃCCXXXV. 8. typis deſcriptæ ſunt, p. 237. ſq.

priam harum litterarum naturam referuntur, cum illis confundunt ſtudiorum partibus, quibus critici, ſi in laboribus ſuis feliciores ſibi promittere volunt fructus, vt ſubſidiis plerumque ſolent vti. Commode ars critica, late ſic dicta, in *philoſophicam*, *hiſtoricam* et *grammaticam* poteſt diuidi. *Philoſophica* opus ipſum auctoris examinat et ſcrutatur, qua fide in ſcribendo fuerit præditus: *hiſtorica* de factis rebusque geſtis, veræne; an falſæ ſint, iudicat: *grammatica*, per eminentiam *critica* adpellata, in emendatione locorum corruptorum atque in interpretatione ipſorum in ſermone verborum verſatur. Atque de hac vltima loquimur, quando de critices indole hic diſputamus. Ea duo, vt indicaui, complectitur capita, quorum alterum de emendatione; alterum vero de ipſa interpretatione exponit. Quum enim veterum ingenii monimenta multis ac variis corruptionibus *l*) expoſita fuerunt, criticus in eo operam ſuam ponit, vt omnia ita in antiquorum libris reſtituantur, quomodo ab eorum ſcriptoribus prouenerunt. Quocirca ea,

l) conferas: IO. WOWERIVM *polymath. cap.* XVIII. p. 188. ſq. IOAN. HENR. HOTTINGERVM *anal.* p. 343. CAR. DV FRESNE *præfat. gloſſar. latinit.* p. 6. IO. CLERICVM *art. crit. vol.* II. *ſect.* I. *cap.* I. ſq. p. I. ſq. RICH. SIMONIVM *bibliotheque critique, tom.* IIII. *ep.* 16. p. 127. CHRIST. AVG. HEVMANNVM *parerg. crit.* p. 15. ſq. et IO. NIC. FVNCCIVM de *ſcriptur. vet. cap.* VII. §. 10. p. 250.

ea, quæ ab aliena manu addita ſunt, removentur; quæ vero vel ab aliis detracta; vel vetuſtate collapſa ſunt, inſtaurantur ac in antiquum ſuum collocantur locum. Inſtituta verborum emendatione, critica iſta grammatica et de orationis interpretatione præcipit, vt eadem vocibus adſignetur ſignificatio, quam ii ipſi, qui eas adhibuerunt, iſtis vindicarunt, nosque mentem ſcriptoris facile cognoſcamus. His duobus officiis plerique tertium addunt, quo criticus et de rebus ipſis et generatim de auctoribus eorumque ætate, ſcriptis, virtutibus et vitiis iudicare debeat; hunc vero laborem potius ad criticorum hiſtoricorum et philologorum fundum referendum eſſe, cenſeo. Vbi enim de ætate ac ingenii monimentis factisque ipſis, quæ tradita ſunt, quis diſputat, non ſe, vt criticum grammaticum; ſed vt hiſtoricum gerit; vbi vero de ſcribendi ratione agit atque in id inquirit: num ea ad artis elegantiæque regulas ſit compoſita; nec ne? philologorum; non vero criticorum officio fungitur. Ex his ſatis ſuperque patet, philologos et grammaticos longiſſimo interuallo ſe a criticis disiungere *m*): criticam ſolum in ver-

m) grammaticus oſtendit rectam linguæ cuiusdam indolem viamque ad adcuratam illius cognitionem parat hincque, quum in auctoribus priſcis verſatur, in eo operam ſuam ponit, vt ex vocum origine, vſu et diuerſo, iſtas coniungendi, modo earum ſignificationes; ſingulares et linguæ proprias dicendi ratio-

bis verſari *n*) et in philologiæ litteris lo-
cum

rationes aliaque oſtendat. Philologus ex antiquitatibus, hiſtoria, geographia aliisque diſciplinis ſcriptori ſuo accendit lucem: iudicat de ſcriptionis eius caſtitate: cognoſcit ex ea linguæ latinæ, quæ experta ſit, fata et generatim ſcribendi eius rationem; pariter ac res, quas memoriæ prodidit, illuſtrare ſtudet; criticus vero, vt IO. CLERICI *art. crit. vol.* I. p. 3. verbis vtar, *viam tantum adperit ad intelligendum eorum ſermonem, qui de rebus egerunt. Haud magis quæritur hic: quid verum ſit, quid falſum; ſed duntaxat, qui poſſimus intelligere, quid ſibi velint ii, quorum ſcripta verſamus.* Criticus nihil aliud agit, quam vt verba auctoris reſtituat iisque reſtitutis, verum, quem ipſe auctor, quum ſcriberet, in animo habuit, ſenſum vindicet. Quando vero tam res; quam verba explicata diiudicare vult, non vt criticum grammaticum; ſed vt criticum hiſtoricum et philologum ſeſe gerit.

n) hoc iam veteres agnouerunt, quumque eos, qui litteris operam dabant, in *eruditos*, qui in rebus ipſis, et in *litteratos*, qui in verbis ſtudium ſuum ponerent; ſiue, vt Græci loquuntur, in φιλολόγȣς et λογοφίλȣς diuiſerunt, criticam, quam pro grammatices parte habebant, poſteriori ſtudiorum generi adnumerarunt: conferas: SVETONIVM de *illuſtr. grammat. cap.* IIII. et *cap.* X. et, quæ de priori loco commentati ſunt: HENR. STEPHANVS de *critic. vet.* p. 238. ac ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Suetonium cit. loc.* p. 757. edit. GRAEVII. Hoc et inde patet, quod veteres criticam ad grammatices diſciplinam, quæ, quoniam in verbis occupata erat, *litteratura* ab ipſis vocabatur, retulerunt: videas: DIOMEDEM apud ELIAM PVTSCHIVM *grammat. veter.* p. 414. QVINCTILIANVM *inſtitut. orat. libr.* II. *cap.* I. *tom.* I. *operum* p. 127. edit. BVRMANNI, aliaque teſtimonia, quæ GERARD. IO. VOSSIVS de *art. grammat. libr.* I. *cap.* I. ANDR. SCHOTTVS *obſeru. hum. libr.*

cum ſuum tenere *o*); nec tamen, vbi res adcurate expenditur, ad grammaticam pertinere *p*): totam illius diſciplinam ita eſſe comparatam, vt, quamuis in verbis ſolum hæreat; nihilominus iure meritoque, ei vt quædam philoſophia adſcribatur, neceſſe ſit *q*) eamque velut fontem ac fundamen-

libr. III. *cap.* 14. et venerandus pater *hiſt. crit. lat. lingu. cap.* III. §. 3. p. 241. exhibent.

o) vti hoc pluribus ex egregio IO. WOWERII *tract. de polymathia* poteſt cognoſci, quem immerito nonnulli et in his PHIL. IAC. MAVSSACVS plagii ſuſpectum habuere, vt ſatis IAC. THOMASIVS *præf. ad memoratum* eius *de polymath. tract*, et *diſſ. de plagio litter. num.* DLXXXXIIII. p. 262. IO. ALB. FABRICIVS *bibliograph. antiquar.* p. 624. GEORG. DAN. MORHOFIVS *polyhiſtor. litterar. tom.* I. *libr.* I. *cap.* I. §. 19. p. 7. inprimis IAC. FRID. REIMMANN in *dem Verſuch einer critique über das dictionnaire des Bayle*, p. 64. ſq. oſtendunt. Huc et pertinent GER. IO. VOSSIVS *libr. de philolog. tom.* III. *oper.* p. 32. et GVIL. BVDAEVS *libris* II. *de philol.* a THOM. CRENIO in *collect. tract. de philol. ſtudiisque liberal. doctrinæ* p. 67. editis. Alios ſilentio transeo, quos venerandus pater *libro excitato* p. 13. memorauit.

p) nonnulli criticam pro parte grammatices putant; alii vero hoc negant, quæ omnia ab ipſa grammatices definitione, num ei anguſtiores; an latiores conſtituantur limites? pendent. Lege: GERH. IO. VOSSIVM de *philol. cap.* VII. §. 9. IO. CLERICVM *art. crit. vol.* I. p. 2. IO. GOTTL. CARPZOVIVM *procem.* de *præcognitis et adparatu artis criticæ*, eius *criticæ ſacræ* præmiſſo, p. 14. LVDOLPH: KVSTERVM *hiſtor. critic. Homeri, ſect.* V. p. 95.

q) conf. ill. comes DE SCHAFTSBVRY in *characteriſtic's of men, Manners and Times vol.* I. *part.* 2.

damentum omnium diſciplinarum, quæ ex antiquis ingenii monimentis hauriuntur, reputandam ac ob inſignem, quam adfert, vtilitatem ſedulo excolendam eſſe.

II

HIS præmiſſis, ad ipſum commentationis argumentum accedo, quumque de ortu et progreſſu artis huius apud veteres Romanos exponere, conſtitui, neceſſitatem ipſam efflagitare, video, vt, vbi materiæ ſatisfacere eamque ſolide tractare volo, origo ipſa critices eiusque conditio atque indoles, antequam ad romanos ea delata eſt, paullo altius; quam adhuc factum eſt, repetatur, quum ipſa initia diſciplinæ huius apud romanos aliter non rite intelligi ac, vti par eſt, cognoſci poſſunt. Originem critices PHIL. IAC. MAVSSACVS r) ab auaritia librariorum, qui tempore regum Alexandriæ vixerunt, arcesſit et poſtquam monſtrauit, grammaticam artem veterum tam græcorum; quam romanorum in τεχνικὴν; ſiue μεθοδικὴν, in ἐξηγητικὴν; ſiue ἱςορικὴν et in κριτικὴν diſtinctam fuiſſe, obſeruat. tertiam hanc partem a criticis veterum ad tria reuocatam eſſe capita, quorum primum in explicatione obſcurioris loquendi rationis: ſecundum in emendatione corruptorum

cel. CHRIST. AVGVST. HEVMANNVS *parerg. crit.* p. 6. et *miſcell. Lipſienſ. tom.* III. p. 334. vbi obſeruatur, omnia, quæ criticus ſuſcipiat, non vltra probabilitatem perduci poſſe.

r) *diſſ. crit. in Harpocrat. lex.* p. 397.

ruptorum locorum: tertium in ſeparatione ac proſcriptione librorum adulterinorum verſatum fuerit. Hoc vltimum criticorum munus toti arti initia dediſſe, exiſtimat ac refert, tempore horum regum librarios et bibliopolas inſcriptiones librorum corrupiſſe atque ob ſpem maioris lucri recentes auctores veteribus ſubſtituiſſe *s*). DAN. HEINSIVS *t*) artis huius initia a veterum theatris repetit, in quibus comici et tragici, quum eo tempore, quo athenienſis imperii cura ad paucos traducta; nec porro magiſtratuum vitam carpere ac de reipublicæ næuis et corrupto ſtatu iudicium ferre, licitum fuerit, contra vilioris conditionis homines ingenii ſui aciem conuerterint eosque lepide perſtrinxerint. His addit HEINSIVS, iſta agendi ratione non ſolum comœdiarum actores et ſcriptores ſummum ſibi contraxiſſe odium; ſed etiam hoc occaſionem dediſſe, iudices ſingulares conſtituendi, quibus prouincia, omnia, antequam ea publice in theatro exhiberentur, rite excutiendi, data fuerit, præſertim, quoniam ii, qui læſos ſe exiſtimarent, factam ſibi iniuriam ſimillimo munere remunerari atque contra tragicorum aliorumque poetarum carmina cenſoriam ſeueritatem monſtrare, ſtuduerint, qua de re GER.

10.

s) vide PETR. BVRMANNVM *notis ad Valeſium de crit.* p. 147.

t) *diſſert. de vera criticæ apud veteres ortu, progreſſu et vſu* p. 154.

IO. VOSSIVS *u*), IO. WOWERIVS *x*), DESID. ERASMVS *y*), IO. GOTTL. CARPZOVIVS *z*) aliique ſunt videndi. PHILIPPVS CAROLI *a*) putat, veram criticorum originem a iudæorum maſorethis et criticis repetendam eſſe, a quibus poſtea hæc diſciplina ad græcos; a græcis vero ad romanos migrauerit. Quæ diuerſæ ſententiæ ita quidem inter ſe conciliari poſſent, vt PHIL. IAC. MAVSSACVM de origine eius ſolum critices partis, quæ de cognoſcendis et ſeparandis germanis ingenii monimentis ab adulterinis: DAN. HEINSIVM de iudicandis poematum virtutibus et vitiis; PHILIPPVM CAROLI vero de emendatione corruptorum locorum eiusque prima apud veteres occaſione, loquutum fuiſſe, diceremus, ſi modo ipſæ eorum opiniones aliquo fundamento niterentur. Longe ante tempora regum Alexandriæ et maſoretharum tiberienſium, de quibus PHILIPPVS CAROLI agere videtur, non ſolum ars critica apud græcos floruit; ſed etiam *critici* nomen atque adpellatio cognita fuit. Quæ HEINSIVS tradit, ea plus ad perfectionem græcæ et romanæ poeſeos; quam ad originem critices contribuiſſe,

u) *libr. de imitat. cap.* XI.

x) de *polymath. cap.* XVI. p. 174.

y) *adag. chil.* II. *cent.* 8. *n.* 58. p. 877.

z) *crit. ſacr. vet. teſt.* p. 14.

a) *orat. de criticis*, quæ Altorf. CIↃIↃCXXVIII. et CIↃIↃCXXXX. prodiit; poſtea vero eiusdem *animaduerſ. in Gellium* Norimberg CIↃIↃCLXIII. præmiſſa eſt.

tribuiſſe, mihi videntur, hancque ob rem exiſtimo, initia artis huius ex aliis atque antiquioribus fontibus eſſe deriuanda.

III

DVO a me perſequenda ſunt, ſi de vera criticæ artis origine contra ſupra memoratorum doctiſſimorum virorum ſententias diſputare eiusque antiquitatem rite oſtendere volo. Probandum videlicet eſt primum, critices diſciplinam ſupra tempora regum Alexandriæ: immo Ariſtotelis eſſe poſitam; deinde vero monſtrandum, quæ vera et prima diſciplinæ huius fuerint initia. Si prius cogitamus, criticorum iam mentionem fecit AESCHINES *Socraticus b)*, qui, poſtquam monſtrare conſtituit, vitam humanam miſeriarum pleniſſimam eſſe, ad puerilis ætatis ærumnas ſeueritatem præceptorum refert; inter hos vero locum primum criticis adſignat et ita ſcribit: *ἀυξανομένȣ δὲ κριτικοὶ, γεωμέτραι, τακτικοὶ, πολὺ πλῆθος δεσπότων, quando paullo grandior eſt, adſunt critici, geometræ, tactici, magna multitudo dominorum*, vbi omnino HEINSIVS *c)* errat, quando criticam Socratis ætate in perſtringendis et dilacerandis aliorum poetarum carminibus verſatam fuiſſe, credit. Satis ea, quæ de rhapſodis, Solonis et Piſiſtrati tempore vſitatis, infra commemorabo, luculenter probant, aliam Socratis ætate

b) dial. III. *de morte* p. 94. edit. CLERICI.

c) excitato libro p. 160.

ætate critices faciem fuiſſe; quam HEINSIVS ſibi finxit. Apud XENOPHONTEM *d*) Niceratus, a patre ſe coactum eſſe, ait, omnia Homeri carmina diſcere, et quum Socrates, rhapſodos occultos carminum Homericorum ſenſus intelligere, negaſſet, ita Niceratum adloquitur: σὺ δὲ Στησιμβρότῳ τε καὶ Αναξιμάνδρῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς πολὺ δέδωκας ἀργύριον, ὥστε οὐδέν σε τῶν πολλοῦ ἀξίων λέληθε, *tu Steſimbroto et Anaximandro et aliis multis multam dediſti pecuniam, itaque nihil eorum, quæ magni facienda, te fugit.* Quis non videt, Steſimbrotum et Anaximandrum viros fuiſſe, qui verſus Homeri ita ſunt interpretati, vt, quæ mens poetæ fuerit, ex verbis eius inueſtigauerint occultamque illius ſententiam explicauerint? et quis non videt, vtrumque critici nomen iure meritoque ſibi vindicare poſſe? Nonne vero et inde patet, MAVSSACVM *e*), VOSSIVM *f*) et HEINSIVM *g*) non recte ſentire, quando iſte critices originem ad regum Alexandriæ tempora; hi vero ad Ariſtotelem referendam eſſe, credunt *h*)?

IIII

d) *ſympoſ. cap.* III. §. 5. *vol.* V. *tom.* I. *operum* p. 143. edit. Oxon.

e) *memorato loco.*

f) de *arte grammat. libr.* I. *cap.* 6. *tom.* II. *operum* p. 9.

g) *diſſert. de veræ criticæ apud veteres ortu*, ſupra laudata p. 155.

h) non poſſum, quin obſeruem, IO. CLERICVM, *not. ad Aeſchin. Socrat.* p. 92. corrupto CEBETIS loco deceptum, a veritate diſceſſiſſe. Memorantur apud CEBETEM *tabul.* p. 27. edit. GRONOVII falſæ eruditionis amatores, atque inter

IIII

EX his, quæ edduxi, facili negotio colligitur, artem criticam antiquiorem eſſe; quam PHIL. IAC. MAVSSACVS aliique exiſtimarunt. Quodſi vero quæritur: ad quam ætatem eius initia ſint referenda? haud errauero, vbi ea ex vltima antiquitate atque ab eo tempore repetenda eſſe, mihi perſuadeo, quo in Græcia illuſtres et ſumma dignitate præditi viri Homeri carmina colligendi eaque per certum ordinem diuerſasque claſſes diſponendi, initium fecerunt. Poſtquam enim Lycurgus, quum in Aſia commora-

inter hos poetæ, oratores, dialectici, muſici, arithmetici, geometræ, aſtrologi, Cyrenaici, peripatetici philoſophi et critici ponuntur. Ex his verbis CLERICVS antiquitatem artis criticæ vindicare, ſibi ſumſit; quis vero non videat corruptionem loci tam manifeſtam? Quomodo quæſo iſtæ philoſophorum ſectæ hic poſſunt commemorari, quæ Cebete longe iuniores ſunt? Inde vero certe colligitur, verba: *οἱ δὲ ἡδονικοὶ, οἱ περιπατετικοὶ, οἱ δὲ κριτικοὶ, alii voluptuarii, alii peripatetici, alii critici* ab alio, criticis pariter ac his philoſophis infenſo, addita eſſe: conferas: AEGIDIVM MENAGIVM *not. ad Diog. Laertium* p. 129. Quæ IVSTVS VELSIVS *not. ad Cebet. tab.* p. 255. IO. CASELIVS *not. ad eund. ſcript.* p. 183. et SAM. PETITVS *miſcell. libr.* IIII. *cap.* 4. p. 23. de hoc Cebetis loco adnotarunt, ita ſunt comparata, vt iis hac in re adſentiri minime poſſim. Quæ, quum ſcribo, obſeruo etiam, HENR. VALESIVM *de critica, libr.* I. *cap.* I. p. 146. in eumdem incidiſſe errorem et ex corrupto hoc loco probare voluiſſe, antiquiſſimis temporibus criticos eos adpellatos eſſe, qui poſtea grammatici dicti fuerint.

moraretur, poetarum huius principis poemata *i*), a Cleophyli *k*) poſteris adſeruata, acceperat eaque deſcripta in Græciam detulerat, vbi antea exiguæ tantum carminum quorundam tabulæ fuerant *l*); iſta vero non in partes et rhapſodias diſtincta; ſed tantum pro rerum argumentis in diuerſos libros diuiſa erant *m*), Piſiſtratus ſummam curam ad id adhibuit, vt diſperſa iſta volumina colligeret atque in *Iliadem* et *Odyſſeam* diſtingueret *n*), poſt quem per longum tem-

i) confirmant hoc: PLVTARCHVS *vit. Lycurgi tom.* I. *operum*, p. 41. AELIANVS *var. hiſtor. libr.* XIII. *cap.* 14. p. 868. ed. GRONOVII: DIO *Chryſoſtomus orat.* II. *de regno* p. 27.

k) alii *Creophylum* ſcribunt, qua de re IOANN. SCHEFFERVS et IOACH. KVHNIVS *not. ad memoratum Aeliani locum* legi poſſunt.

l) conferantur AELIANVS *loco excitato:* SVIDAS *lexic.* voce Ὅμηρος *tom.* II. p. 682. ed. KVSTERI: EVSTATHIVS *comm. ad Homeri Iliad.* ῥαψ. I. p. 14. edit. POLITI: LVDOLPH. KVSTERVS *hiſtor. crit. Homeri, ſect.* III. p. 58. LEO ALLATIVS de *patria Homeri, cap.* V. *tom.* X. *theſ. ant. græc.* GRONOVII, p. 1563. RAPH. FABRETTVS *ad vet. tabul. Iliac.* p. 337. IAC. PERIZONIVS *not. ad Aeliani var. hiſt.* p. 868. edit. GRONOVII et ERASM. SCHMIDIVS *not. ad Pindari nemeonic. od.* II. *v.* 2. p. 34.

m) nonnulli credunt, Homeri carmina ab ipſo ſolum recitata et decantata; ab aliis vero deſcripta fuisſe, id quod non admodum multam præ ſe habet probabilitatis ſpeciem. Conſule: IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* 2. *vol.* I. p. 270. et LVD. KVSTERVM *hiſtor. crit. Homeri ſect.* III. p. 78.

n) teſtes ſunt: CICERO *libr.*

temporis interuallum demum Ariſtarchus quoduis volumen in XXIIII. libros ſecundum litterarum ordinem diuiſit *n*). Hæc, veterum carmina diſponendi et in ordinem redigendi, ratio ſingulare poſtea fuit criticorum munus, idque, vt ſuſpicor, primum, quo illi antiquiſſimi critici perfuncti ſunt, quum Homeri carmina rite diuiderent.

V

PROPRIAM originem criticæ arti rhapſodi dediſſe, videntur, qui vetuſtiſſimo æuo carmina poetarum, inprimis Homeri, decantare ſolebant. Contra hos legem Solonem promulgaſſe, referunt LAERTIVS *o*) et SVIDAS *p*) ac tradunt, eum rhapſodis impoſuiſſe neceſſitatem, carmina Homeri ita canendi, vt alter initium faceret, vbi alter finierat cantionem *q*). Quæ vt rite intelli-

libr. III. *de orator. cap.* 34. AELIANVS *excitat. loc.* PAVSANIAS *libr.* VII. *cap.* 76. p. 594. Ex recentioribus addi poſſunt: IO. MEVRSIVS *Piſiſtrat. cap.* VIII. *tom.* V. *theſ. ant. græc.* GRONOVII p. 1431. LEO ALLATIVS de *patria Homeri, cap.* V. IAC. GRONOVIVS *præf. ad tom.* V. *theſ. ant. græc.* ERASM. SCHMIDIVS *not. ad Pindari Nemeon. od.* II. *v.* 2. p. 34. AEG. MENAGIVS *not. ad Laertium* p. 34.

n) videantur: EVSTATHIVS *ad Iliad. Hom* ῥαψ. I. p. 14. edit. POLITI, et IO. WOWERIVS *de polym. cap.* XVIII. p. 153.

o) *vit. Solonis, ſegm.* LVII. p. 35. edit. MENAGII.

p) *lexic. voc.* ὑποβολὴ, *tom.* III. p. 552. edit. KVSTERI.

q) proprie illi tantum *rhapſodi* dicebantur, qui Home-

telligantur, atque origo critices eo manifeſtius pateat, obſeruandum eſt, eiusmodi cantores miſere inter ſe confudiſſe Homeri monimenta ingenii ac, quum verſus, quos decantare voluerunt, ex diuerſis poetæ huius carminibus conglutinarent *r*), turpi-

Homerica carmina canere ſolebant, vnde et ῥαψῳδοὶ et ὁμηρισαὶ ſæpe vnum idemque in veterum monimentis ſignificant. Manu eiusmodi rhapſodi laurum tenebant, quod ea de cauſſa feciſſe illos EVSTATHIVS obſeruat, quoniam poetæ, quorum carmina cantabantur, futurorum habiti fuerint nuntii atque interpretes; probabilius tamen videtur, quod ipſos carminum auctores, qui ſuos hymnos cum lauru in manu recitarunt, imitari voluerint, quemadmodum PINDARVS *Iſthm. od.* IIII. ςροφ. γ. *v.* 1. p. 64. HESIODVS, θεογον. *v.* 30. p. 36. edit. GRAEVII atque alii, a LVD. KVSTERO *hiſt. crit. Homeri* p. 90. memorati, probant. Virga hæc vti ῥάβδος dicebatur; ita eiusmodi cantores inde ῥαβδῳδοὶ ſunt adpellati; qui vero cum ῥαβδούχοις non confundendi ſunt, vti IVL. CAESAR. SCALIGER *poetic. libr.* 1. *cap.* 41. p. 102. et ERASM. SCHMIDIVS *not. ad Pindar.* p. 36. fecerunt: diſcrimen enim ſatis magnum fuiſſe, monſtrat breuiſſimis AL. POLITVS *not. ad Euſtath. tom.* 1. p. 16. Adde de his rhapſodis: IAC. PERIZONIVM *not. ad Aelian. var. hiſt.* p. 810. IVL. CAES. SCALIGERVM et ERASM. SCHMIDIVM, *loc. mem.* CLAVD. SALMASIVM *exerc. Plin.* p. 609. et LVDOLPH. KVSTERVM *hiſt. crit. Homeri ſect.* V. p. 90. ſq.

r) ex eo etiam origo vocis ῥαψῳδος poteſt intelligi. Nomen enim ſuum a græca voce ῥάπτειν adepti ſunt, quæ non ſolum *componere carmen*; ſed etiam *res inter ſe diſtantes coniungere*, ſignificat. Atque hoc fecerunt rhapſodi, quum diuerſas

turpiter ea diſturbaſſe iisque omnem priſtinum nitorem ac ſplendorem per licentiam ſuam eripuiſſe, id quod luculentis verbis PINDARI ſcholiorum auctor *s*) et EVSTATHIVS *t*) confirmant. Præterea ſæpe rhapſodi verſus componere ſuasque ſordes cum Homericorum carminum ſplendore permiſcere, et plurimam partem ex ſuis, anxie congeſtis, opibus et initium et finem addere ſolebant *u*), id quod inprimis de CYNAETHO *Chio x*) EVSTATHIVS

diuerſas poematum Homericorum partes canendo inter ſe coniungerent. Probabilior eſt hæc deducendi ratio; ac SVIDAE, quum a voce ῥάϐδος, *baculus, virga*, quam eiusmodi cantores in manu habebant, vocabulum ῥαψῳδος deriuat: conf. EVSTATHIVS *loco memorato* p. 15.

s) ad *Nemeon. od.* II. v. 12.

t) *loco memorato*, vbi hæc leguntur verba: διότι κατὰ μέρος, Φασὶ, τῆς ποιήσεως διαδεδομένης, τὴν σύμπασαν ποίησιν ἐπιόντες, οἱ ᾄδοντες καὶ τὰ ἐξ ἑκατέρας ὁμηρικῆς ϐίϐλȣ συῤῥάπτοντες ὡς ἐβȣ́λοντο, ῥαψῳδοὶ ἐντεῦθεν προσηγορεύθησαν, *propterea quod diſtributo in partes carmine, ii, quorum munus erat canere, carmen vniuerſum percurrerent et ex vtroque libro Homeri loca, vt volebant, conſuerent, rhapſodi ſunt ita adpellati.*

u) fiebat hoc ea de cauſſa, quoniam Homeri carmina epica erant, et, quum partem illorum publice decantare vellent, neceſſe eſſe, exiſtimabant, vt et initium; et finis adderetur. Alia vero fuit ratio carminum tragicorum, comicorum et lyricorum, quæ ita comparata erant, vt iam exordium et finis cum ipſa re, quæ repræſentabatur, coniunctus ab auctoribus fuerit.

x) horum additamentorum auctor Cynæthus Chius

THIVS *y*) memoriæ prodidit. Eiusmodi contexta carmina memoriter recitabant, vti ex XENOPHONTE et iam laudato EVSTATHIO conſtat; ea vero rhapſodorum conſuetudo multarum corruptelarum ac vitiorum in Homeri aliorumque ſcriptis dedit occaſionem. Hæc omnia vbi rite conſiderantur, facili negotio conſtabit, quam fœde et turpiter ſeſe aduerſus Homerum geſſerint inepti illi cantores, ita, vt, quod certiſſimum eſſe, iudico, nihil ad poſteritatem de Homero; niſi ſolum nomen, perueniſſet, vbi alii eamdem monſtraſſent negligentiam; nec de rationibus, Homerum in integritatem reſtituendi, mature cogitaſſent. Inter hos primas ſibi SOLON vindicat partes, qui laudabili inſtituto rhapſodorum nimiam licentiam præcidit atque,

Chius; non vero, vti CLAVD. SALMASIVS *exercit. Plinian.* p. 609. credit, primus rhapſodus fuit. Vt enim ex *ſcholiaſte* PINDARI, *loco memorato* patet, is circa *olympiad.* LXVIII. vixit; Solonis vero tempore, qui vsque ad finem *olympiad.* IIII. Athenienſium reipublicæ præfuit, iam rhapſodos extitiſſe, ex ſupra recitatis SVIDAE et DIOGENIS LAERTII teſtimoniis elucet. Inter ſeptem vrbes, quæ ſecundum VARRONEM apud GELLIVM *libr.* III. *cap.* 11. p. 237. edit. GRONOVII de patria Homeri inter ſe diſceptarunt, etiam Chios fuit, cuius ciues nummum cum Sphinge et Homeri effigie cudendum curarunt. Legantur: LVD. KVSTERVS *hiſtor. crit. Homeri* p. 3. et LEO ALLATIVS de *patria Homeri cap.* 1. *tom.* X. *theſaur. antiqu. græc.* GRONOVII p. 1719.

y) *loco excitato* p. 15.

atque, vti ex ſupra memoratis patet, caute prouidit, ne elegantia Homeri carmina eorum ſordibus inquinarentur *z*). Non ſolum igitur tempore illius, quemadmodum EVSTATHIVS *a*) teſtatur, eruditi viri ad emendandum Homerum animum adhibuerunt; ſed etiam ſequenti æuo HIPPARCHVS *b*), Piſiſtrati filius, aliique itidem diligenter curarunt, vt Homerus a vitiis illis ac maculis,

z) videantur: SVIDAS *lexic.* voc. ὑποβολὴ, *tom.* III. p. 552. edit. KVSTERI et DIOGENES LAERTIVS *libr.* I. *ſegm.* 57. p. 35. edit. MENAGII.

a) ad *Homer. Iliad.* ῥαψ. α. p. 16. edit. POLITI.

b) conf. AELIANVS *var. hiſt. libr.* VIII. *cap.* 2. p. 524. edit. GRONOVII, vbi quidem difficultates ſeſe offerunt, quum primum ea fere adtribuuntur filio, quæ *libr.* XIII. *cap.* 14. Piſiſtrato patri adſcribuntur; ſed vtrumque optime conſtare poteſt, ſi dicamus, patrem Homeri carmina in certum redegiſſe ordinem; filium vero rite hæc diſpoſita ingenii monimenta Athenas primum transtuliſſe. Deinde heic oritur quæſtio: quomodo Aelianus dicere potuerit, Hipparchum primum fuiſſe, qui Homerum Athenas deferendum curauerit, quum de Solone legamus, eum rhapſodis ordinem in canendo Homero præſcripſiſſe? Ad hoc commode reſponderi poteſt, Solonem quidem leges has feciſſe; eas vero breui tempore poſt ob ciuiles ſeditiones ſublatas eſſe Homerique carmina ex animo atque memoria hominum ita diſceſſiſſe, vt Hipparchus iſta denouo Athenas traducere atque cognita facere debuerit: conſulantur: IAC. PERIZONIVS et IO. SCHEFFERVS *not. ad Aelianum* p. 524. edit. GRONOVII: AEGID. MENAGIVS *not. ad Laertium* p. 34. et LVD. KVSTERVS *hiſt. crit. Homeri ſect.* III. p. 83.

culis, quibus rhapſodi eum adſperſerant, purgaretur verſusque adulterini proſcriberentur. Atque hæc eſt ratio, quare antiquisſimi illi critici, vbi bene de Homero mereri volebant, nihil fere aliud; niſi *διορθώσεις* Homericas, quas IO. ALB. FABRICIVS *c*) aliique recenſent, compoſuerint. Quæ quum ita ſint, neminem facile, arbitror, fore, qui auctores, quum Homerum emendarent: falſa a veris: adulterina a germanis ſecernerent, criticos fuiſſe, negare ſibi ſumat *d*). Quibus, vbi ſupra ex XENOPHONTE et AESCHINE *Socratico* memorata, et a PLVTARCHO *e*) de Alcibiade tradita adduntur, facile conſtabit, criticam eſſe artem antiquiſſimam, eiusque originem commode ad Solonis ætatem *f*) poſſe referri.

VI

c) *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* 2. *vol.* 2. p. 270. ſq.

d) SVIDAS, voc. *Ζηνόδοτος tom.* II. p. 8. edit. KVSTERI credit, Zenodotum primum fuiſſe, qui Homerum emendauerit; ſed errat. Euripidem enim, notiſſimi tragici poetæ fratris filium, iam idem ſuſcepiſſe, eſt res ſatis cognita.

e) *vita Alcibiad.* p. 194. adde AELIANVM *var. hiſt. libr.* XIII. *cap.* 38. p. 410. edit. GRONOVII.

f) poſt Solonis tempora, quo magis veteres philoſophi antiquiſſimorum poetarum lectioni ſeſe dabant; eo maiores criticæ artis factæ ſunt acceſſiones: conf. LVD. KVSTERVM *hiſt. crit. Homeri ſect.* III. p. 24. Id tamen haud negandum eſt, et ipſos illos criticos, qui corrupta emendare voluerunt, nimia ſua corrigendi libidine Homerum nonnunquam corrupiſſe potius; quam ſanaſſe, multaque

VI

ATQVE hæc ſunt initia artis illius nobiliſſimæ, quæ ab eo ſtatim tempore, poſtquam ad romanos peruenerat, apud ipſos in maximo honoris atque exiſtimationis loco poſita fuit. Acceperunt iſti eam a græcis, apud quos diu ante floruit; quam in Latium migraret. SOCRATEM iure meritoque primum haberi poſſe criticum, omnes fatebuntur, vbi PLATONIS *dialogos*, illum inprimis, qui *Cratylus* inſcribitur, atque ea, quæ in dialogis *Gorgia* et *Ione* commemorantur, legerint. Quantum in hoc diſciplinarum genere excellens ARISTOTELIS ingenium præſtiterit, abunde teſtantur egregii eius *politicorum* et, qui διδασκαλίας circumferuntur nomine, libri *. Quam adcurate Homerum eiusque carmina, quæ et ipſe emendauit *g*), diiudicauerit, ex eius

 de

taque loca germana pro ſubſtitutis habuiſſe. Hoc eſt certum, multa in noſtris Homeri editionibus ab emendatione horum criticorum profluxiſſe: adde: DAN. HEINSIVM *poetic. Ariſtot. cap.* XXV. IOS. BARNESIVM *not. ad Euripid. tom.* I. p. 57. IOAN. HARTVNGIVM *decur. loc. memorat. tom.* II. *theſauri crit.* ORVTERI p. 664.

* conf. ISAAC. CASAVBONVM *not. in Athenæum libr.* VI. *cap.* 7. p. 415. IO. WOWERIVM de *polymath. cap.* XII. §. 17. p. 133. IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* 19. *volum.* I. p. 670.

g) lege ſcholiaſtem veterem THEOCRITI, *idyll.* I, I. et LVD. KVSTERVM *hiſtor. crit. Homeri*, p. 99. Homeri *Iliadem*, ab Ariſtotele emendatam, tanti feciſſe dicitur Alexander magnus

de *re poetica* libris, quantum de iis benignior fortuna nobis reliquit, poteſt facili negotio cognoſci; facilius tamen id poſſet fieri; niſi eius *Homericarum quæſtionum* libros ſex nobis temporum inuidia abſtuliſſet *b*). Quoniam vero artem grammaticam et criticam arctiſſimo coniunxit vinculo, communi fere ore pro primo et critico; et grammatico habitus eſt *i*). Ariſtotelem excepit

gnus, vt eam in ſcrinio vnguentorum pretioſiſſimo, quod inter Perſica accepit ſpolia, poſuerit, ac ſemper ſecum circumtulerit, teſtibus PLVTARCHO eius *vita*, p. 668. et PLINIO *hiſt. nat. libr.* VII. *cap.* 29. Adde: IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* II. *volum.* I. p. 271. ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Strabon. libr.* XIII. p. 224. ALEX. POLITVM *not.* ad *Euſtathium tom.* I. p. 17. IOAN. RVDOLPH. WETSTENIVM de *ſcriptis Homeri* §. IIII. p. 151. et PETRVM BVRMANNVM iuniorem *not. ad Valeſium de critica*, p. 155.

b) diſcimus hoc inprimis ex DIONE *Chryſoſtomo orat.* p. 553.

i) vt ex memorato loco DIONIS ſatis patet. Ab aliis, nominatim DIOG. LAERTIO *libr.* III. *ſegm.* 25. p. 180. edit. MENAGII, grammatices origo ad Platonem refertur, cum quo DIONYSIVS *Halicarnaſſeus libr.* περὶ συνθέσεως ὀνομάτων *tom.* II. *operum*, p. 14. conferri poteſt. Ipſe Ariſtoteles de ſe profitetur, ſe multa in hac grammatices parte Ileo et Lampro debere: conf. AEGIDIVM MENAGIVM *not. ad Laertium* p. 148. Ibidem Ariſtoteli et critices origo adſcribitur, quoniam eam antea rudem et ſterilem diligenter coluit, ac noua quaſi ornauit facie. HEINSIVS de *veræ crit. apud veteres ortu* p. 155. ſine dubio paullo ante memoratum DIONIS teſtimonium in animo habuit, quando ſcripſit, eum primum adpellatum

cepit THEOPHRASTVS, cuius edita ingenii ſpecimina de *poetica* et de *iudiciali genere orationum* ſatis, criticum eum fuiſſe, produnt *k*). Huius auditor DEMETRIVS *Phalereus* fuit, quem TERTVLLIANVS *l*) *grammaticorum probatiſſimum* vocat, quoniam critici inter reliquos grammaticos, ad quorum cenſum per ordinem referebantur, omnium nobiliſſimi habebantur. His merito adiungendi ſunt PHILETAS *m*) eiusque diſcipulus, ZENODOTVS *n*), qui alexandrinæ

pellatum eſſe criticum; id quod vero ex iſto minime ſequitur. Videantur: CLEMENS *Alexandrinus libr.* I. *ſtromat. cap.* 16. p 365. edit. POTTERI, et ex recentioribus PHILIPP. IAC. MAVSSACVS *diſſert. crit. in Harpocrat.* p. 397. et IO. WOWERIVS *polymath. cap.* II. p. 24. 25.

k) euoluas HENR. VALESIVM *libr.* I. *de critic. cap.* 7. p. 155.

l) *apologet. cap.* XVIII. p. 181. edit. HAVERCAMPI, cui IOS. SCALIGER *animadu. ad Euſ. chron.* p. 132. addi poteſt. Multi Demetrio huic adſcribunt librum criticum περὶ ἑρμηνείας, ſed immerito, quod recte monſtrarunt: HENRIC. VALESIVS *not. ad excerpta Peiresciana* p. 65. 66. et AEG. MENAGIVS *not. ad Diogenem Laertium* p. 37. et 129. et *obſeruationibus italicis ad Amintam Taſſ.* p. 141. vtpote qui cum aliis Dionyſio Halicarnaſſeo librum nunc vindicant. Alii, quos IO. CHRIST. WOLFIVS *not. ad Caſaubon.* p. 249. et IO. ALB. FABRICIVS *bibl. græc. libr.* IIII. *cap.* 31. *vol.* IIII. p. 424. excitant, Demetrio Alexandrino rhetori hoc opus tribuunt.

m) leg. IO. ALB. FABRICIVS *bibl. græc. libr.* V. *cap.* 7. *volum.* III. p. 68. et GER. IO. VOSSIVS *inſt. poet. libr.* III. p. 52.

n) Zenodotus Philetæ auditor

næ bibliothecæ fuit præfectus et ſingulari ſtudio, Homerum a ſuperiorum temporum, quibus adſperſus fuerat, vitiis purgauit. Hunc multi, haud minoris famæ, critici: CALLIMACHVS *o*), ERATOSTHENES

ditor fuit et poſt Demetrium alexandrinæ bibliothecæ adminiſtrandæ prouinciam a Ptolemæo Philadelpho accepit. Eius mentio fit apud SVETONIVM de *illuſtr. grammat. cap.* XI. p. 764. Adde: SVIDAM *lexic. voc.* Ζηνοδότος *tom.* II. p. 8. edit. KVSTERI et STEPHANVM *Byzantinum* de *vrbib.* voc. δοδώνη, p. 249. atque alios. Quam ſuſcepit, correctionis Homericæ haud raro PORPHYRIVS, EVSTATHIVS aliique meminerunt.

o) ab eo πίναξ παντοδαπῶν συγγραφέων eſt exaratus. In hoc de libro quodam, Εκαταίου Μιλησίου περιήγησις inſcripto, agit ac probat, eius auctorem non Mileſium; ſed alium fuiſſe: conf. ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Athenæum* p. 144. Sic etiam ἐθνικάς ὀνομασίας edidit, vt ex teſtimoniis veterum, a IO. ALB. FABRICIO *libr.* IIII. *bibl. græc. cap.* 34. *volum.* IIII. p. 539. collectis, patet, more antiquiſſimorum criticorum, qui in auctoribus obuias difficiliores voces illuſtrare ſolebant; ita tamen, vt alii omnes promiſcue; alii vero eas, quæ linguæ cuiusdam propriæ erant, explicarent. Hæ vocabulorum peregrinorum interpretationes *gloſſæ* dicebantur: conf. GERARD. IO. VOSSIVM de *arte grammat. libr.* I. *cap.* 5. *tom.* II. *oper.* p. 8. IO. HENRIC. BOECLERVM *tom.* I. *oper.* p. 645. IO. FRID. GRONOVIVM *obſeruat. ad ſcriptor. eccleſiaſt. cap.* XXIIII. p. 259. PHILIP. IACOB. MAVSSACVM *diſſ. crit. in Harpocrat. lex.* p. 382. LVD. CAEL. RHODIGINVM *lection. antiqu. libr.* XIII. *cap.* 4. p. 663. aliosque memoratos a venerando patre *hiſt. crit. lat. lingu. cap.* V. §. 2.

NES *p*), ARISTOPHANES *q*) eiusque celebris diſcipulus ARISTARCHVS *r*) aliique plures *s*) ſequuti ſunt, qui quantum in hac arte præſtiterint, antequam ea Romam traduceretur, nec argumenti ratio; nec tempus, vt fuſius exponam, mihi permittit. Ex

§. 2. p. 329. Eumdem Callimachum in Homerum commentarios ſcripſiſſe, nonnulli ex STRABONE p. 44. edit. ALMELOVENII et *libr.* VII. p. 299. oſtendere volunt; ex iſto vero nihil probandum eſt, quum ea, quæ STRABO de Callimacho refert, etiam in aliis, ab eo exaratis, ingenii monimentis exſtare potuerunt. Legas IO. ALB. FABRICIVM *bibl. græc. libr.* II. *cap.* 5. *vol.* 1. p. 333. et *libr.* III. *cap.* 19. *vol.* VI. p. 372.

p) vid. SVIDAM *lexic. tom.* I. p. 850. GENTIANVM HERVETVM *not. ad Clementem Alexandrin.* p. 106. edit. POTTERI et IO. ALB. FABRICIVM *loco memorato* p. 470.

q) ſpecimen criticæ ſcientiæ Ariſtophanis huius, qui ſcholas celeberrimorum criticorum, Callimachi, Zenodoti atque Eratoſthenis ſummo cum ſtudio frequentauit, apud QVINCTILIANVM *libr.* I. *inſt. orator. cap.* 1. habemus. Scripſit etiam *διόρθωσιν*, quo ATHENAEVS *libr.* VI. *dipnoſoph. cap.* 3. p. 228. reſpicit, et cuius EVSTATHIVS haud raro facit mentionem. Idem etiam obſeruandum eſt de Arato Solenſi, qui itidem ſub Ptolemæo Philadelpho vixit et *διόρθωσιν Ἀράτειον* in lucem emiſit. Hic eſt Aratus ille, qui, Timonem Sillographum aliquando interrogans: quænam Homeri exempla eſſent emendatiſſima? reſponſionem accepit, illa eſſe, quæ nondum emendata fuerint. Conf. LVD. KVSTERVS *hiſt. crit. Homeri ſect.* V. p. 100.

r) de Ariſtarcho infra plura dicam.

s) conf. IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. græc. vol.* 1. p. 274. ſq.

Ex his ſatis tamen patet, artem criticam iam ante romanorum criticorum tempora cultam atque ornatam fuiſſe.

VII.

SI ipſam artis huius in vrbe Roma primam cogito culturam, merito obſeruandum eſt, ſero litterarum ſtudiis ciues eius animum conſecraſſe; nec noui, quemquam ante Punica bella in doctrinis liberalibus celebrem commemorari *t*). CICERO *u*) teſtatur, Liuium Andronicum primum Romæ litteras docuiſſe. *Liuius*, inquit, *primus fabulam, C. Clodio Cæci filio et M. Tuditano coſſ. docuit, anno ipſo, antequam natus eſt Ennius; poſt Romam conditam autem quarto decimo et quingenteſimo, vt hic ait, quem nos ſequimur.* Omnis antiquitus doctrina poeſi, hiſtoria, oratoria arte et philoſophia continebatur, quibus diſciplinis etiam nonnulli ius ciuile addebant. Hinc ex poetis Næuius, Cæcilius,

t) de ſtudiis veterum romanorum litterariis digni ſunt, qui legantur: HERMANNVS CONRINGIVS de *ſtudiis liberalibus vrbis Romæ:* IOAN. ANDR. BOSIVS de *ortu, educatione et ſtudiis Iul. Agricolæ:* CHRIST. CELLARIVS *diſſ. de ſtudiis Romanorum litterariis in vrbe et prouinciis* p. 341. eius *diſſert. academicarum:* CONR. BVDDE *diſſ. de ſtudiis liberalibus apud vet. roman.* GEORG. NIC. KRIEGK de *modis inclareſcendi apud romanos*, et IOSEPHVS CARAFA *libr.* I. *de gymnaſio romano*, Romæ, CIↃIↃCCLI. in lucem publicam emiſſo. Reliquos conſulto tacitus prætereo.

u) de *clar. orat. cap.* XVIII. Adde SVETONIVM de *illuſtr. grammat. cap.* I. GELLIVM *noct. Att. libr.* XVII. *cap.* 21.

lius, Pacuuius *x*), Lucius Accius, Sextus Turpilius, Afranius *y*), Lucilius, Ennius *z*) Plautus *a*), Terentius *b*): ex hiſtoricis Fabius Pictor, L. Cincius Alimentius, Cato cenſorius, Piſo, Minatius Rufus, L. Caſſius Hemina, Sempronius Tuditanus, L. Siſenna *c*): ex oratoribus non tam Menænius Agrippa, M. Popilius et alii, qui per naturalem

x) conf. AVL. GELLIVS *libr.* I. *cap.* 24. *libr.* XVII. *cap.* 21.

y) vide: CICERONEM de *claris oratoribus cap.* LXXIIII. VELLEIVM PATERCVLVM *libr.* II. *cap.* 9. QVINCTILIANVM *libr.* X. *inſtit. orator. cap.* I.

z) teſtes ſunt: OVIDIVS *libr.* II. *triſt. v.* 474. *tom.* III. *operum*, p. 534. edit. BVRMANNI, et A. GELLIVS *libr.* XVII. *cap.* 17.

a) legantur: QVINCTILIANVS *libr.* X. *inſtit. orator. cap.* I. et HORATIVS de *arte poetic. v.* 270. p. 689. edit. BENTLEII.

b) teſtantur de eius nitida et eleganti dictione CICERO *epiſt. ad Atticum libr.* VII. *epiſt.* 3. QVINCTILIANVS *libr.* X. *inſt. orat. cap.* I. A. GELLIVS *libr.* VII. *cap.* 14. p. 406. et *libr.* XVII. *cap.* 21. p. 801. Plura de eiusmodi poetis illius æui eorumque ſcribendi ratione ſuppeditabunt: PETRVS CRINITVS *libr.* V. *de poetis latinis:* LILIVS GREG. GYRALDVS, cuius *hiſtoria; ſiue dialogi* X. *de poetis tom.* II. *operum* p. I. exſtant: GERARD. IOAN. VOSSIVS *libr.* II. *de poetis latinis, tom.* III. *operum* p. 230. CHRIST. CELLARIVS *diſſert. de ſtudiis romanorum litterariis in vrbe et prouinciis* p. 343. eius *diſſertat. academic.* et IO. NIC. FVNCCIVS de *adoleſcentia latinæ linguæ cap.* II. p. 49. ſq.

c) plura de his veterum hiſtoricis exhibent: GER. IO. VOSSIVS *libr.* III. *de hiſt. latinis:* CHRIST. CELLARIVS *diſſ. academ.* p. 345. aliique plures.

ralem dicendi vim populo perſuaſerunt; quam M. Cornel. Cethegus, Cato, C. Lælius, P. Scipio Aemilianus, vterque Gracchus aliique plures laudem ac nominis famam ſibi compararunt. Quod ad grammaticam adtinet, ante Ennii tempora, nullus ei, vt SVETONIVS *d*) teſtatur, in vrbe honor fuit datus, multo minus ars critica cognita et culta fuit a romano populo, cuius ferox et ad bella continua gerenda factus quaſi et compoſitus animus per reliqua humanitatis ſtudia nondum erat emollitus.

VIII

QVAE licet ita fuerint; nec critica ars inter romanos, etiam poſt Ennii tempora, tales, quibus ob præſtantiam ſuam digna erat, deprehenderit patronos; nihilominus mature ſatis ab inſigni ſui æui critico, CRATETE *Mallote*, in vrbem delata eſt. Quoniam vero iſte ea tempeſtate romam venit, qua ciues nihil; aut certe parum in litteris profecerant; nec, quantam ſuauitatem ac vtilitatem poetarum lectio adferat, penitus didicerant, non mirandum eſt, quare illis temporibus ars critica magnos in Latio progreſſus haud fecerit. Ad Cratetem Mallotem quod adtinet, teſtatur de eo SVETONIVS *e*), primum eum vrbi romæ ſtudium grammatices intuliſſe, his verbis

d) de *illuſtr. grammat. cap.* 1. p. 1061. ed. PITISCI.

e) *libro memorato cap.* 11. p. 1062.

bis: *primus igitur, quantum opinamur, ſtudium grammaticæ in vrbem intulit Crates Mallotes, Ariſtarchi æqualis, qui miſſus ad ſenatum ab Attalo rege inter ſecundum ac tertium bellum punicum, ſub ipſam Ennii mortem, quum in regione palatii, prolapſus in cloacæ foramen, crus fregiſſet, per omne legationis ſimul et valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις ſubinde fecit. adſidueque diſſeruit ac noſtris exemplo fuit ad imitandum.* Ex hoc effato facile probari poſſe, credo, criticam artem per Cratetem Mallotem Romæ introductam fuiſſe; vt vero cuncta diſtincte et luculenter pateant, ante omnia obſeruari debet, SVETONIVM hic per *grammatices* vocem, non prima litterarum fundamenta, quæ ſic dicti *grammatiſtæ*, quibus nec roma; nec alia vel mediocris carebat romana ciuitas, tradere ſolebant; ſed adcuratam ac ſolidam linguæ cognitionem veramque, auctores veteres interpretandi atque explicandi, rationem intelligere.

VIIII

QVÆ dixi, fundamento haud deſtituta ſunt et ex manifeſtis veterum teſtimoniis patent. Prouoco hac in re non ſolum ad SEXTI *Empirici* auctoritatem; ſed etiam ad ipſum veterum, grammaticam diuidendi, modum atque ad totam SVETONII verborum coniunctionem. SEXTVS *Empiricus f)* aperte

f) aduerſ. grammat. libr. 1. *cap.* 2. p. 224. edit. FABRICII.

aperte teſtatur, grammaticam Cratetis in perfecta linguæ cognitione, quæ criticis conuenit, poſitam fuiſſe, quando ita loquitur: γραμματικὴ τοίνυν λέγεται κατὰ ὁμωνυμίαν κοινῶς τε καὶ ἰδίως. Καὶ κοινῶς μὲν, ἡ τῶν ὁποιωνδηποτοῦν γραμμάτων εἴδησις, ἐάν τε Ἑλληνικῶν, ἐάν τε βαρβαρικῶν, ἣν συνήθως γραμματιστικὴν καλοῦμεν. Ἰδιαίτερον δὲ ἡ ἐντελὴς, καὶ τοῖς περὶ Κράτητα τὸν Μαλλώτην, Ἀριστοφάνην τε καὶ Ἀρίσταρχον ἐκπονηθεῖσα, *grammatica ergo diuerſa ſignificatione et communiter accipitur et proprie. Ac communiter quidem, pro cognitione cuiusmodicunque litterarum; ſeu græcarum; ſeu barbararum, quam grammatiſticam adpellare conſueuimus; proprie autem eſt perfecta illa et abſoluta et qualis fuit elaborata ſtudio ac diligentia Cratetis Mallotæ et Ariſtophanis et Ariſtarchi.* Probe hic notandum eſt, SEXTVM *Empiricum* eas diſciplinas, quibus Crates Mallotes, Ariſtophanes et Ariſtarchus animum conſecrarunt, *grammatices* nomine comprehendere; quum vero tres iſti nobiliſſimi viri inſignes critici fuerunt, facile patet, quid etiam SVETONIVS indicato *loco* per *grammaticam* intellexerit. Ariſtophanem enim criticis adſcribendum eſſe, QVINCTILIANVS *g*) comprobat, dum eum *poetarum iudicem* nominauit, quæ adpellandi ratio de criticis, vti ex variis teſtimoniis MARTIANI CAPEL-

g) *inſtit. orat. libr.* X. *cap.* I. p. 893. edit. BVRMANNI.

CAPELLAE, AVGVSTINI, QVINCTILIANI ac SVETONII oſtendit IO. WOWERIVS *h*), ea de cauſſa adhibebatur, quoniam in poetis plerumque interpretandis eorumque ſenſu inueſtigando ac perſcrutando illorum cura occupata fuit, quemadmodum etiam apud memoratum QVINCTILIANVM *i*) ipſa critice *poetarum enarratio* eſt adpellata. Ad ipſum ARISTOPHANEM quod adtinet, fuit ille celebrium criticorum: CALLIMACHI, ZENODOTI atque ERATOSTHENIS auditor adſiduus, atque in his litterarum ſtudiis adeo profecit, vt Ptolemæi tempore illis adnumeraretur, qui comicorum et tragicorum carmina rite examinare debebant. Huius rei teſtes atque interpretes ſunt, quæ dedit, artis ſuæ ſpecimina, a QVINCTILIANO, vt iam ſupra obſeruaui *k*), memorata, cui et ATHENAEVS *l*) adiungi debet, qui eius *emendationis* Homericæ, ab EVSTATHIO ſæpius laudatæ, meminit. Eo et alia ſpectant, quæ de hoc critico eiusque eruditione IO. ALB. FABRICIVS *m*) adnotauit; mitto vero iſta, ne in re, per ſe ſatis certa, iuſto longior ſim. Et quid de eius diſcipulo, ARISTARCHO, dicam,

C quem

h) de *polym. cap.* XVI. p. 161.

i) *inſtit. orat. libr.* I. *cap.* 4. 39.

k) *libr.* I. *inſtit. orat. cap.* 4. p. 39.

l) *dipnoſoph. libr.* VI. *cap.* 3. p. 228.

m) *libr.* II. *cap.* 2. §. 16. *volum.* I. p. 272. *libr.* III. *cap.* 18. *volum.* II. p. 471.

quem EVSTATHIVS *n*) iure meritoque *κριτικῶν κορυφαῖον* vocat: cuius nomen ab antiquis ſcriptoribus pro ipſo poetarum cenſore eſt vſurpatum, vti ex CICERONE *o*), HORATIO *p*) aliisque veterum teſtimoniis apud DESIDERIVM ERASMVM *q*), HENRIC. STEPHANVM *r*), GERARD. IO. VOSSIVM *ſ*), IO. ALB. FABRICIVM *t*), PETR. BAELIVM *u*) diſci poteſt: qui porro veteres auctores emendauit: loca corrupta correxit: deprauata reſtituit atque adulterina tam feliciter proſcripſit, vt recte AVSONIVS *w*) pronuntiauerit, eum *ſacri lacerum collegiſſe corpus Homeri*, quemadmodum hæc omnia HENR. STEPHANVS *x*), GERARD. IO. VOSSIVS *y*), LVD. KVSTERVS *z*), ANDR. DACERIVS *a*), PETR. BAELIVS *b*), et IO. ALB. FABRICIVS *c*), ex HORATII *d*) QVINCTILIANI

n) *comm. ad Homerum Iliad.* ῥαψ. α. ed. POLITI.

o) *libr.* 1. *ad Attic. epiſt.* 14.

p) *art. poet. v.* 445. p. 703. edit. BENTLEII.

q) *chil.* 1. *adagior. cent.* 5. *num.* 27. p. 227.

r) de *criticis vet. græc. et rom.* p. 22.

s) de *arte grammat. libr.* 1. *cap.* 6. *tom.* II. *operum*, p. 9.

t) *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* 2. *vol.* 1. p. 274.

u) *dictionar. hiſtor. critic. tom.* 1. p. 318. edit. german.

w) *præf. in ludum ſeptem ſapientum.*

x) *loco dicto* p. 19.

y) de *poetis græcis cap.* VIII. *tom.* III. *oper.* p. 214.

z) *hiſt. crit. Homer.* p. 101.

a) in *remarques ſur l' art poetique d' Horace* p. 371.

b) *libro excitato* p. 315.

c) *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* 2. p. 274.

d) *art. poet. v.* 44. p. 703. edit. BENTLEII.

LIANI *e*), OVIDII *f*), CICERONIS *g*) aliorumque effatis commonſtrarunt *h*).

X

e) *inſt. orator. libr.* X. *cap.* I. p. 893. ed. BVRMANNI.

f) *libr.* III. *ep.* II. *ad familiar. tom.* I. p. 169. edit. GRAEVII.

g) *ad Atticum libr.* I. *epiſt.* 14. p. 860. *operum*, edit. GRONOVII.

h) refert vetus *ſcholiorum* auctor ad DIONYSIVM *Thracem*, Piſiſtratum ſeptuaginta grammaticis prouinciam demandaſſe ſingula poemata Homeri in ordinem redigendi ac emendandi; inter hos vero omnium iudicio Zenodoti et Ariſtarchi laborem plauſum ſibi vindicasſe. Conferas IAC. GRONOVIVM *præf. theſ. ant. græc. tom.* V. ANTONIVS VAN DALE *diſſert. ſuper Ariſtea cap.* XVIII. p. 146. et HVMFREDVM HODIVM de *biblior. textib. original. lib.* II. *cap.* 6. §. 13. p. 157. Probabiliorem ſcholiaſtes hic ſententiam prodidiſſet, ſi Ptolemæum nominaſſet, quum Piſiſtratus criticis his vetuſtior fuit. Sane ipſe in ſuſpicionem incidit, in Homerum verſum adulterinum contra Athenienſes in Megarenſium fauorem eum transtuliſſe, qua de re HENR. STEPHANVS de *criticis græc. et lat.* p. 57. videri poteſt. Vti inter grammaticos pariter ac inter philoſophos certæ ſectæ inueniebantur; ita et *Ariſtarcheorum grammaticorum* nonnunquam in antiquis litterarum monimentis fit mentio, quemadmodum hoc ex VARRONE de *lingu. lat. libr.* VII. p. 96. *libr.* VIIII. p. 134. ex SVIDA *lex. tom.* I. p. 574. et ex aliis teſtimoniis conſtat, quæ IO. WOWERIVS *polymat. cap.* XVIII. p. 205. exhibet. Adde: EDMVNDVM MERILLIVM *libr.* I. *obſ. cap.* 2. et CHRIST. AVG. HEVMANNVM *poecil. tom.* III. p. 633. Quamuis vero Ariſtarchus magnam ſibi per ingenii ſui facultatem adquiſiuerit exiſtimationem; multi tamen iam ex veteribus criticis emendationes eius impugnare, easque falſitatis adcuſare, ſibi ſumſerunt;

X

EX his, puto, iam confici poſſe, quid SVETONIVS pariter ac SEXTVS *Empiricus* per *grammaticam* CRATETIS *Mallotis* intellexerint. Satis enim notum eſt, a veteribus criticam artem ad grammatices diſciplinas relatam fuiſſe et omnes fere, ſi SEXTVM *Empiricum i)* aliosque nonnullos exceperis, qui eam late ſumſerunt: grammaticam vero inter ſubſidia et adminicula ſcientiæ criticæ numerarunt, illius nomine et criticam artem contineri, credidiſſe. Et quamuis hi itidem, vbi, diſciplinam hanc diuidendi, ratio conſideratur, inter ſe ita diuerſi ſint, vt nonnulli plures; alii vero pauciores eius conſtituerint olim partes, quemadmodum ex VARRONE, PHILONE aliisque PHIL. IAC. MAVSSACVS *k)* oſtendit; in eo tamen omnes fere, qui ſenſu latiori vocem *grammatices* acceperunt, conſentire, obſeruaui, vt grammatici officia, quocunque modo ea numerauerint, ad tria potiſſimum negotia: lectionem videlicet, interpretationem atque emendationem retulerint. Eam ob rem contigit, vt

vti hoc ſatis de Zenodoto iuniore alexandrino, Cleanthe Stoico, Ptolemæo Aſcalonita, Luciano, Philoxeno, Strabone, Athenæo aliisque compertum eſt. Multa criticæ Ariſtarcheæ exempla in EVSTATHIO et *ſcholiis ad Homerum minoribus* deprehenduntur.

i) libri I. *aduerſ. grammatic. cap.* 3. p. 233. edit. FABRICII.

k) diſſ. crit. in Harpocr. p. 381.

vt tres principes veterum grammaticorum eſſent ordines. Alii erant *technici*, qui ſolum prima litterarum fundamenta pueros docebant: alii *exegetici*; ſiue *hiſtorici*, qui libros, vel ſoluta; vel ligata oratione conſignatos, interpretabantur ac voces obſcuriores resque traditas illuſtrabant: alii denique *critici*, qui in veras auctorum ſententias verasque vocum ſignificationes diligenter inquirere: omnia ſcrutari ac diiudicare: corrupta loca emendare ac adulterina ſubmouere ſolebant, qua de re pluribus PHILIPP. IAC. MAVSSACVS *l*), GERARD. IO. VOSSIVS *m*), IO. CLERICVS *n*), IO. WOWERIVS *o*), SAM. PITISCVS *p*), IO. HENRIC. BOECLERVS *q*), HENR. VALESIVS *r*), IO. NIC. FVNCCIVS *s*), doctiſſimi CORNELII NEPOTIS *t*) interpretes, venerandus pater *u*) aliique

l) *loco memorato.*

m) *libr.* I. *de art. grammat. cap.* VI. ſq. *tom.* II. *operum*, p. 6. ſq.

n) *part.* III. *art. crit. ſect.* I. *cap.* 2. p. 27. ſq.

o) *polymath. cap.* VIII. p. 65.

p) *not. ad Suetonium de illuſtr. gram.* p. 1079. et 1080.

q) *bibliograph. critica cap.* II. p. 8.

r) *libr.* I. *de critica cap.* I. p. 144. vbi inprimis elegantiſſimæ PETR. BVRMANNI obſeruationes dignæ ſunt, quæ legantur.

s) de *latinæ linguæ virili ætate*, p. 34.

t) p. 415. ſq. edit. KEVCHENII.

u) *hiſtor. crit. lat. lingu. cap.* VIII. §. 2. p. 502. et *cap.* IIII. §. 8. p. 247. Hæc grammaticorum veterum differentia vbi obſeruatur, intelligi poſſunt etiam nomina, quæ antiquiores, pro diuerſitate partium huius diſciplinæ, ipſis adſignarunt.

aliique egerunt. Eiusmodi critici etiam inde *grammaticorum* habuerunt nomen, id quod DIONIS *Chryſoſtomi x*), SENECAE *y*), SEXTI *Empirici z*). CORNELII NEPOTIS *a*) atque aliorum auctoritate nititur.

XI

HAEC omnia tam luculenta ſunt, vt maiori luce vix egeant. Abunde illa ad probandum ſufficiunt, SVETONIVM, quum de CRATETIS *Mallotis* grammatica quædam commemoret, nobiliſſimam illius partem, criticam

runt. Sic diſtinguunt *litteratum* a *litteratore: grammaticum* a *grammatiſta: logophilum* a *philologo: litteratum* ab *erudito: criticum* a *polyhiſtore*, cet. Nonnulli enim grammatici, præſertim antiquiſſimi, nihil fere aliud; quam prima linguæ præcepta, tradebant: alii et de interpretatione veterum poetarum fuerunt ſolliciti, ac de obſcurioribus loquendi rationibus: de origine vocum deque aliis rebus, factis et hiſtoriis egerunt: alii porro maiora ſibi conficienda fixerunt ſpatia et præter has diſciplinas, et arti criticæ operam dederunt, a quibus et illi diuerſi erant, qui latius vagabantur et in rhetoricorum ac ſophiſtarum campum ſeſe demittebant. Pro hoc ergo grammaticorum diſcrimine et nomina eorum diuerſa fuerunt. Conf. IO. WOWERIVM *polymath. cap.* IIII. et v. p. 31. ſq. IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. græc. volum.* I. p. 159. SAM. PITISCVM *obſ. ad Sueton. de illuſtr. grammat.* p. 242. IAC. PERIZONIVM *not. ad Sanctii Mineru. cap.* II. p. 12. ſq. et venerandum patrem *hiſt. crit. lat. lingu. cap.* IIII. §. 3. ſq. p. 241. ſq.

x) *orat.* LIII. p. 553.

y) *epiſt.* 98. *tom.* II. *oper.* edit. GRONOVII p. 382. et *epiſt.* CVIII. p. 536.

z) *libro* ſupra *memorato*, p. 268. edit. FABRICII.

a) *fragment.* p. 415. edit. KEVCHENII.

criticam nimirum et veteres auctores, tam qui ſoluto; quam qui metri vinculis adſtricto ſermone ſcripſerunt, interpretandi ſolidam rationem intelligere. Quomodo enim, quæſo, verba eius de *technica* grammatices parte accipi poſſint, quum iam ante Cratetem eiusmodi hominum magna Romæ frequentia fuit? et quomodo Cratetem prima litterarum fundamenta pueris romanis tradidiſſe, credamus, quum ſcholæ viliorum præceptorum, qui in puluere et ſordibus linguarum elementa infantibus inſtillant, longe infra dignitatem et eximii critici; et regii legati, vt Crates erat, extiterunt? Inde, haud infirmis rationibus adductus, mihi perſuadeo, SVETONIVM per *grammaticam* critices potiſſimum diſciplinam intelligere, ac Cratetem illum Mallotem primum eſſe, qui ad hanc artem eiusque ſolidam cognitionem romanis aditum patefecerit. Quoniam autem id eo tempore fiebat, quo romani ob continua bella ferociam nondum penitus depoſuerant; nec eorum animi ſuauitate litterarum leniti ac emolliti fuerant, critices etiam ſtudium non admodum multos ac felices inter romanorum mœnia progreſſus facere potuit. Quæ vt rite pateant, varia de ipſo Cratete Mallote: de tempore, quo Romam miſſus eſt deque veſtigiis artis criticæ, Romæ ab eius ætate vsque ad Sullam relictis, dicenda eſſe, mihi videntur.

XII

QVOD ad ipſum Cratetem Mallotem adtinet, qui criticam artem Romæ intulit, fuit iſte filius Timocratis ſeque per totum vitæ tempus arti illi tradidit; nec ſolum Homeri nouam adgreſſus eſt emendationem; ſed etiam eamdem ob cauſſam ab antiquis et *critici*, et *Homerici* nomen obtinuit, id quod ſequentia SVIDAE *b*) verba teſtantur: Κράτης, Τιμοκράτους, Μαλλώτης, Φιλόσοφος Στωϊκός. ὃς ἐπεκλήθη Ὁμηρικὸς καὶ κριτικός, διὰ τὴν περὶ τοὺς γραμματικοὺς καὶ ποιητικοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπίστασιν· σύγχρονος Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ ἐπὶ τοῦ Πτολεμαίου τοῦ Φιλομήτορος, *Crates, Timocratis filius, Mallotes, philoſophus Stoicus, qui cognomento vocatus eſt Homericus et criticus ob ſtudium, quo ad res grammaticas et poeticas erat intentus, æqualis Ariſtarchi grammatici, tempore Ptolemæi Philometoris.* Vti ex hoc memorato SVIDAE teſtimonio diſcimus, præter criticam, philoſophiæ animum conſecrauerat Crates; nec ſine laboris fructu, quum ſatis conſtat, Panætium, qui ſecundum CICERONIS *c*) ſententiam *Stoicorum probatiſſimus* exſtitit, eius diſcipulum fuiſſe. Nec longe cauſſa petenda eſt, cur præſertim ad philoſophiam ſeſe adplicauerit noſter criticus. Satis enim notum eſt, criticos quæcunque fere diſcipli-

plina-

b) *lexic. tom.* II. p. 370. edit. KVSTERI.

c) *libr.* II. *de offic. cap.* 14. p. 239. edit. GRAEVII.

plinarum genera tractaſſe et ipſum Cratetem, teſte SEXTO *Empirico d)*, credidiſſe, criticum omni eruditione ac ſcientia λογικῇ præditum eſſe debere. Quando DIOGENES LAERTIVS *e)* plures recenſet, qui eodem vſi ſunt nomine, Crates hic ſeptimum locum occupat; præterea vero ex iis, quæ SVETONIVS *f)* de eius ad ſenatum romanum legatione memoriæ prodidit, haud difficulter ſuſpicari licet, eum in aula regum pergamenorum ciuilibus æque ac publicis negotiis adhibitum eſſe. Incidit eius ætas in idem tempus, quo Ariſtarchi floruit ingenium, atque is fuit Ariſtarchus ille, cum quo noſter Crates habuit controuerſias in rebus, ad emendationem Homeri ſpectantibus, vt in quibus omnis illius æui criticorum induſtria verſabatur. Vnde et factum eſt, vt alii a Cratetis; alii vero ab Ariſtarchi ſtarent partibus duasque conſtituerent ſectas, quarum altera ab Ariſtarcho; altera autem a Cratete ſe nominari voluit, qua de re ſupra de ſectis grammaticorum memorati ſcriptores videndi ſunt. Quando vero ISAACVS CASAVBONVS *g)* exiſtimat, Cratetem illum, qui cum Ariſtarcho diſceptauit, a noſtro diuerſum fuiſſe, a veritate aberrat et nimium tribuit hac

 in

d) aduerſ. grammat. libr. 1. *cap.* 3. p. 233.

e) libr. IIII. *ſegm.* 21. p. 241.

f) de *illuſtr. grammat. cap.* 11. p. 1063.

g) not. ad Sueton. exc. loc. p. 51. edit. GRAEVII.

in re SVIDAE auctoritati; quem tamen ſe feſelliſſe et Cratetem pergamenum hiſtoricum cum noſtro Mallote, ab vrbe Ciliciæ *Mallo* ſic adpellato, confudiſſe, recte PETR. BAELIVS *b*) obſeruat. Quæ de Cratete Mallote HENR. STEPHANVS *i*), GER. IO. VOSSIVS *k*), DAN. HEINSIVS *l*), ISAAC. CASAVBONVS *m*), AEGID. MENAGIVS *n*), SAM. PITISCVS *o*), IO. ALB. FABRICIVS *p*) et IO. NIC. FVNCCIVS *q*) aliique doctiſſimi viri memoriæ prodiderunt, ſilens prætereo et tantum obſeruo, difficultatem ſeſe offerre in definiendo tempore, quo Romam perueniſſe, Crates dicitur. Iſtum enim ſub ipſam Ennii mortem critices ſtudium vrbi intuliſſe, refert SVETONIVS atque addit, eum ab Attalo rege ad ſenatum miſſum eſſe. Ennium vita exiiſſe anno ab vrbe condita IϽLXXXVI. tradunt faſti capitolini aliique ſcriptores; quum autem Eumenes ante Attalum pergamenorum regno præfuit, et ab anno vrbis conditæ IϽLVI. vſque

b) *diction. hiſt. crit. tom.* II. p. 319. edit. german.

i) de *crit. græc. et latin.* p. 246.

k) *libr.* I. *de grammat. cap.* 4. *tom.* II. *oper.* p. 6.

l) de *veræ crit. apud vet. ortu et progreſſ.* p. 154.

m) *not. ad Sueton. de illuſtr. gram.* p. 751. edit. GRAEVII.

n) *adnot. ad Diog. Laert. libr.* IIII. *ſegm.* 21. p. 175.

o) *not. ad Suetonii locum indicatum* p. 1062.

p) *bibliotb. græc. libr.* II. *cap.* 2. *vol.* II. p. 275.

q) de *adoleſcent. lat. linguæ cap.* IIII. §. 31. p. 168. cui præſertim PETRVS BAELIVS *dict. hiſt. cr. tom.* II. p. 319. adiungendus eſt.

vsque ad annum IↃLXXXXVI. imperium adminiſtrauit, aperte ſequitur, Cratetem vel Eumene regnante; vel non ſtatim poſt mortem Ennii Romam veniſſe *r*),

XIII

Tvetvr ergo Crates Mallotes omni iure gloriam illam, quod criticam, in qua ornanda atque in altiorem euehenda locum tot præſtantia Græciæ ingenia ante ipſum elaborauerant, Romam primus detulerit, vrbem, quæ vt omnium fere diſciplinarum; ſic et huius artis domicilium ac ſedes quaſi propria exſtitit. Quando etiam paullo adcuratius inquirimus in fata, quæ litterarum ſtudia poſt Cratetem vsque ad Sullam experta ſunt, haud obſcure nonnulla artis huius veſtigia in SVETONIO *s*) inueniri poſſunt. Poſtquam enim ille de Cratete Mallote eiusque Romæ habitis recitationibus grammaticis quædam tradidit, his addit, eius exemplum romanorum ingenia ita excitaſſe, vt carmina, adhuc ignobilia, diligentius peruolutare ac *legendo commentandoque*, ceteris nota facere cœperint. Ex his haud immerito conficit HENR. STEPHANVS *t*), inter romanos critices ſtudium a CRATETIS *Mallotis* tempore floruiſſe. *Sed obſeruandum eſt*, inquit, *inter cetera illud*: legendo;

r) conf. PETR. BAELIVM *loc. memorato.*

s) de *illuſtr. gramm. cap.* II. p. 1063. edit. PITISCI.

t) de *crit. graec. et latin.* p. 246.

gendo, *quod peculiarem quemdam vſum habere, videtur, quum de legente grammatico et eo quidem critico dicitur, perinde fortaſſe; ac ſi criticum non aliorum more; ſed critice, id eſt, cum critico quodam iudicio* legere *dicendum eſſet.* Quæ vt probet, ad hunc apud SVETONIVM *u*) de Valerio Catone verſum prouocat:

Cato grammaticus, latina Siren,
qui ſolus legit ac facit poetas,

vbi pari modo vocem *legere* eamdem ſibi vindicare ſignificandi virtutem, recte oſtendit. NIC. HEINSIVS *x*) etiam in LVCILIO veteris critices veſtigia ſe inueniſſe, credit, hancque in rem de eo ita pronuntiat: *quam partem*, criticam videlicet, *e veteri comœdia deſumtam, Lucilius et Flaccus ad romanam ſatiram, vt ipſe Flaccus profitetur, cum cenſura morum transtulerunt, quippe vt multa Accii, Pacuuii ac Ennii Lucilius; ita plurima Lucilii ac aliorum ſalſe exagitat Horatius;* ſupra vero iam obſeruaui, HEINSIVM non de ea critica arte romanorum, quæ in intelligendis ac emendandis priſcis ingeniorum monimentis verſatur; ſed de critica hiſtorica, quæ in diiudicandis poetarum et rebus et verbis atque in illis perſtringendis eſt occupata, agere. Vtcunque tamen res ſeſe habeat, ex iis, quæ partim de Cratete;

u) de *illuſtr. grammatic. cap.* XI. p. 1075.

x) de *vera crit. apud vet. orta, progreſſu uſque* p. 157.

tete; partim de veſtigiis artis criticæ, ex Suetonio monſtratis, memorata ſunt, abunde conſtat, iam longe ante Sullana tempora critices ſtudium in vrbe Roma cognitum fuiſſe. Vti vero initia rerum ſemper exigua ſunt et cum tempore maiores nanciſcuntur acceſſiones; ita et in critica arte ante Sullanum æuum romani plerique rudes ac hebetes fuerunt; nec tam in emendandis; quam in explicandis veterum græcorum monimentis operam poſuerunt. Minus tamen negandum eſt, meliores in hac arte ſine dubio feciſſe progreſſiones romanos et ante Sullam; niſi Terentii ætate, C. Fannio Strabone et M. Valerio Meſſala Coruino conſulibus, anno vrbis conditæ IↃLXXXXIII. rhetores et philoſophi triſte illud fatum experiri et ex vrbe excedere debuiſſent. Nolo in id inquirere, ſitne illa, contra rhetores lata a ſenatu, ſententia laudanda; aut culpanda *y*); hoc tamen

y) quamuis rhetorum ac ſophiſtarum argutiæ captioneſque ad religionem peruertendam comparatæ eſſent, hocque eorum vitium romanis, quibus priſtina maiorum integritas curæ cordique erat, hoc ſenatusconſultum promulgandi occaſionem daret; attamen ſeuera hæc agendi ratio vel eo nomine excuſari haud poteſt, quod inter veram ac falſam, quæ homines decipit, rhetoricam nullum ſtatuerint diſcrimen; nec verum vſum philoſophiæ ab eius abuſu ſeparauerint: conf. CHR. CELLARIVM *diſſ. acad.* p. 348. qui hoc factum non defendere quidem; quodammodo

men libere adfirmo, criticam artem, cui rhetores maxime operam dederunt, in ipſo ſuo flore eo tempore ſuppreſſam et fere extinctam fuiſſe. Poſt Cratetem varii etiam grammatici Romæ docuerunt, vt SPVR. CARVILIVS z), libertus Spurii Caruilii: LVCIVS PLOTIVS a) multique alii; qui vero omnes, ſi BLANDVM, nobilioris conditionis hominem, exceperis, ex viliorum fuerunt ſorte et, quamuis ſoli technici grammatici fuiſſe videantur; viam tamen magis magisque ad artem criticam pararunt,

dammodo autem excuſare videtur: lege: ISAAC. CASAVBONVM et SAM. PITISCVM *not. ad Suetonium de illuſtr. rhet. cap.* 1. p. 776. interpretes GELLII *libr.* XV. *noct. Attic. cap.* 11. et 10. NICOL. FVNCCIVM de *adoleſc. lat. lingu.* p. 171. Criticos etiam rhetoricis diſciplinis; rhetores vero criticæ arti operam dediſſe, non ſolum DIONYSII *Halicarnaſſei*, ISOCRATIS aliorumque exempla; ſed etiam hæc verba SVETONII de *illuſtr. gramm. cap.* IIII. p. 1068. docent: *me quidem adoleſcentulo, repeto, quemdam, Principem nomine, alternis diebus declamare: alternis diſputare; nonnullis vero mane diſſerere: poſt meridiem, remoto pulpito, declamare ſolitum.* Fuſius hoc argumentum perſequitur HENR. VALESIVS de *critica libr.* 1. *cap.* 2. p. 148.

z) conferantur: IOAN. NIC. FVNCCIVS de *adoleſcent. lat. lingu. cap.* IIII. §. 4. p. 169. et IVST. LIPSIVS *deſcript. Louanii tom.* III. *operum*, p. 1417. qui, Caruilium hunc Cratete vetuſtiorem eſſe, ſine cauſſa adfirmauit.

a) lege SVETONIVM de *clar. rhetor. cap.* II. p. 1095. et QVINCTILIANVM *inſtit. orator. libr.* II. *cap.* 4. p. 147. edit. BVRMANNI.

rarunt, quum ad intelligentiam veterum poëmatum auditores ſuos ducerent.

XIIII

FORTVNAM longe benigniorem critica ars cum reliquis liberalibus diſciplinis habuit Sullæ, Cæſaris et Auguſti temporibus, qui, finitis bellis ciuilibus, in id inprimis intenti fuerunt, vt martium illum et ad ſeditiones maxime procliuem populum a bello auocarent et per litterarum ſtudia ferocem eius animum paullo manſuetiorem ac ſedatiorem redderent. Eruditi præmiis ornabantur *b*), principes conſtituendas curabant ſcholas *c*), et cum litterarum magiſtris atque eruditis verſari eorumque conſuetudine *d*) vti, eosque in grauioribus cauſſis

b) vide ISAAC. CASAVBONVM *not. in Perſium* p. 4.

c) IO. HENR. BOECLERVM in *Mæcenate tom.* II. eiusdem *oper.* p. 730.

d) ex antiquis ſcriptoribus hoc confirmant: CICERO *libr.* I. *de orator. cap.* 4. *orat. Philipp.* II. *cap.* 17. SVETONIVS de *claris rhetor. cap.* V. et de *illuſtr. grammat. cap.* XVII. et HORATIVS *libr.* II. *epiſt.* I. *v.* 245. De eiusmodi præmiis eruditorum conferas: LVD. CRESOLLIVM *theatr. rhetor. libr.* IIII. *cap.* 3. *tom.* X. *theſ. ant. græc.* GRONOVII p. 92. ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Suetonium vit. Veſpaſ. cap.* XVIII. p. 686. IO. CHRIST. SAGITTARIVM *otio ienenſ. diſſert.* VIIII. p. 227. THOMAM GRENIVM *animaduerſ. phil. et hiſtor. part.* VII. p. 140. 141. CLAVD. SALMASIVM *not. ad ſcriptor. hiſt. Aug. tom.* I. p. 275. CAR. PASCHALIVM de *coronis libr.* V. *cap.* II. p. 317. et 329. IAN. BROCKHVSIVM *not. ad Tibullum eleg.* III.

FRID.

cauſſis conſulere atque honoribus adficere ſolebant. Quocirca non aliter fieri potuit, quam vt romana gens, cui natura ipſa ad gloriam ardorem ſummum intulerat, ad litterarum ſtudia ſe conferret iisque animum ſuum totum conſecraret. Parentes id inprimis curabant, vt filii in ſcholis, poſtquam illi ſingulari induſtria, quemadmodum CICERO *e*) NEPOS *f*) et TACITVS *g*) referunt, in gremiis matrum educati fuerant, grammaticam, eloquentiam, poeſin: inprimis græcam linguam, quæ apud ipſos, vti apud nos latina, erat, perdiſcerent: veterum græcorum tam poetarum, Homeri, Menandri, Euripidis, Sophoclis; quam hiſtoricorum, Thucydidis, Polybii, Herodoti, Xenophontis aliorumque libros legerent *h*) ac, decurſo hoc ſtadio,

FRID. RAPPOLTVM *diſſ. de coronis poetarum* IOAN. NIC. FVNCCIVM *de viril. ætat. lat. lingu. cap.* I. §. 12. p. 27. venerandum patrem *diſſ. de præmiis veterum ſophiſt. ac rhetorum* multosque alios.

e) de *clar. oratorib. cap.* XXVII. et *cap.* LVIII. et *libr.* VIII. *ep.* 4. *ad Atticum.*

f) *vit. Attici cap.* IIII. p. 367.

g) *vit. Agricolæ cap.* I.

h) vide QVINCTILIANVM *inſtitut. orator. libr.* I. *cap.* I. p. 17. PLINIVM *libr.* VII. *epiſt.* 9. §. 2. CORNEL. NEPOTEM *vit. Attici cap.* IIII. §. 1. et *cap.* XVIII. §. 6. SVETONIVM *vit. Aug. cap.* LXXXVIIII. §. 1. In ſcholis ab Homeri lectione initium feciſſe romanos, PLINIVS *libr.* II. *ep.* 14. §. 2. aliique plures teſtantur. Addas GISB. CVPERVM *apotheoſ. Homer.* p. 119. et LAVR. INGEWELINGIVM, *hiſtor. græc. linguæ* p. 81.

dio, ad philoſophiæ, rhetoricæ ac reliquas diſciplinas diſcendas ſe componerent. Quapropter totæ præceptorum cohortes Romæ inueniebantur, qui poetarum carmina explicabant: voces obſcuriores illuſtrabant; ſignificationes earum indagabant ac res, in illis traditas, interpretabantur. Omnium artium liberalium diſciplinæ eo tempore tam ſedulo et tam feliciter colebantur, vt fere fatendum ſit, romanos magnitudinem ſuam æque litterarum culturæ; ac armorum peritiæ acceptam ferre debere *i*). Hæc ſingularia erga litteras ſtudia effecerunt, vt illa ætate et artis criticæ facies penitus immutaretur. Quum enim ad veterum græcorum carmina legenda atque exponenda romani animum conferrent, res ipſa poſtulabat, vt arti criticæ ſe darent, quia ſine iſta nec ſcriptores intelligere; nec ex Græcia Romam delatos ac corruptos carminum codices in integritatem ſuam reſtituere poterant. Adhæc probe romani cognoſcebant, ad eloquentiæ facultatem ſine arte critica ſe nunquam poſſe peruenire. Quapropter etiam ii, qui

i) de ratione ſtudiorum apud veteres romanos exponunt: IO. WOWERIVS *libr. de polymathia:* HERMANN. CONRINGIVS *diatrib. de ſtudiis liberal. vrb. Romæ:* CHRIST. CELLARIVS *diſſ. de ſtudiis romanorum litterariis in vrbe et prouinciis* p. 341. eiusdem *diſſ. academ.* IO. NIC. FVNCCIVS de *virili ætate lat. lingu. cap.* 1. §. 17. p. 31. et vener. pater *diſſ. de var. mod. litteras colendi apud vet. Rom.* p. 52. eius *parerg. acad.*

in dicendo et vim et ſuauitatem ſibi comparare volebant, in artem iſtam omni diligentia incumbere ſolebant, prout præter alios Herodes Atticus iſtam a Munatio Tralliano didicit, vt PHILOSTRATVS *k*) diſerte memorat. Ex eo facile patet non ſolum, quare plurimi critici cum ſua arte rhetorices diſciplinas arctiſſimo coniunxerint vinculo *l*) et ea perſequuti ſint in ſcribendo argumenta, quæ ad eloquentiam pertinent; ſed etiam; quæ cauſſa fuerit, cur romani iis temporibus tantam induſtriam culturæ artis huius conſecrauerint.

XV

SED fauſtum hoc litterarum apud romanos auſpicium ac noua, quæ iis adfulſit iſta ætate, lux non ſola fuit cauſſa, cur romani in arte critica ſtudia ſua ponerent. Quemadmodum enim præcipua illorum ratio eloquentiæ cultura fuit, in qua ita occupati erant, vt quæcunque Græciæ veteris ingeniorum monimenta perreptarent; ſic et haud vna occaſio, diſciplinam hanc rite ornandi ac perpoliendi, romanis exhibebatur. Eadem fere tempeſtate, qua litteræ Romæ nouam induebant faciem, varii critici ex Græcia eo ſeſe contulerant, inter quos TYRANNION et DIONYSIVS *Alexandrinus*

k) *vit. ſophiſt. libr.* II. *cap.* I. §. 14. p. 564. edit. OLEARII.

l) conf. HENR. VALESIVS de *crit. libr.* I. *cap.* 2. p. 149.

nus principem tuentur locum. Illum tempore belli Mithridatici Lucullus captiuum Romam duxit *m*); hic vero præceptor Tyrannionis ac diſcipulus celebris critici Ariſtarchi fuit et in vrbe docuit, vt ex SVIDA *n*) diſcimus. Tyrannion diuerſus eſt ab alio, eiusdem nominis, qui, quum bellum inter Antonium atque Octauium gereretur, itidem Romam delatus Terentiæque, vxori Ciceronis, donatus fuit, quæ eum poſtea manumiſit, ac, quamuis vterque arti criticæ operam dederit; prior tamen præcipue illam Romæ rite eſt profeſſus, vti ex variis elucet documentis, inprimis ex eo, quod CICERONIS *o*), quemadmodum ipſe confitetur, bibliothecam in ordinem redegit.

XVI

QVÆ vt rite intelligantur, merito obſeruo, criticis inprimis munus librorum ordinandorum commiſſum eſſe; hoc autem ab illis non tantum poſtulaſſe, vt litterarum monimenta ac libros numerarent eosque apte collocarent; ſed etiam, vt præſertim veterum ſcriptorum codices in certas claſſes diuiderent: viliores et abiectos a ſolide elaboratis: adulterinos a germanis ſepararent,

m) conf. SVIDAM *lexic. tom.* III. p. 517. et adde: PLVTARCHVM *vit. Sullæ* p. 468. ex recentioribus GER. IO. VOSSIVM de *art. gramm. libr.* I. *cap.* 6. *tom.* II. *oper.* p. 9. et BAELIVM *dict. tom.* IIII. p. 388.

n) *tom.* I. *lexic.* p. 598.

o) *libr.* IIII. *ep.* 4. et 8. *ad Atticum: libr.* III. *epiſt.* 4. et 5. *ad Q. fratrem.*

rent, id quod QVINCTILIANVS *p)* his verbis teſtatur: *nam et ſcribendi ratio coniuncta cum loquendo eſt et enarrationem præcedit emendata lectio et miſtum his omnibus iudicium eſt, quo quidem ita ſeuere ſunt vſi veteres grammatici, vt non verſus modo cenſoria quadam virgula notare et libros, qui falſo viderentur inſcripti, tanquam ſubditițios ſubmouere familia, permiſerint ſibi; ſed auctores alios in ordinem redegerint: alios omnino exemerint numero;* quod et alii ſcriptores confirmant. In eo enim præcipue critici veteres elaborarunt, vt partim in poetis verſus alieni, qui verorum ſcriptorum carminibus per vitia ſcribarum aliasque cauſſas illati erant, proſcriberentur; partim vero toti libri, qui auctorum antiquorum nomina præ ſe falſo ferebant, e numero germanorum eximerentur *q)*.

XVII

NEC Tyrannionis cura ſolum in diſponendis bibliothecis romanorum collocata fuit; ſed etiam, vt ex ſupra memorato SVIDAE

p) libr. I. *inſt. orat. cap.* 4.

q) conf. IO. WOWERIVM de *polymath. cap.* XVI. p. 161. IO. MEVRSIVM *exercit. crit. part.* II. *libr.* I. *cap.* V. p. 15. CHR. FALSTERVM *quæſtion. Rom.* p. 174. PETR. BVRMANNVM *not. ad memoratum Quinctiliani locum* p. 38. SAM. PITISCVM *lex. ant. Rom. tom.* II. p. 253. IOAN. NIC. FVNCCIVM de *ſcriptur. vet.* p. 322. et venerandum patrem tam *comment. de dedicationibus libror. veterum*, præmiſſa *epiſtolis Cellarii*, p. 14. quam *hiſt. crit. lat. linguæ, libr.* IIII. §. 9. p. 248.

SVIDAE loco patet, publice ille docuit, id quod vt feliciter præſtaret, liberum bibliothecæ Sullanæ vſum ab eius præfecto obtinuit; quicunque autem nouit conditionem ac rationem librorum adparatus, quem Sulla Romam deportandum curauerat, is, Tyrannionem egregiam, ingenium ſuum in critica arte exercendi, opportunitatem habuiſſe, vltro fatebitur *r*). Bibliotheca hæc Sullana Ariſtotelis præcipue conſtabat libris, quos ipſe poſt mortem ſuam Theophraſto reliquerat; poſt hunc autem, quum ii vna cum Theophraſti libris in Nelei incidiſſent manus, poſteri eius, imperiti ac indocti homines, iſtos, ne a regibus Pergami, qui omnes a præſtantibus ingeniis excluſos fetus ſingulari induſtria conquirebant, eos vendere, cogerentur, ſub terra abſcondi-

r) PLVTARCHVS *vita Sullæ tom.* I. *oper.* p. 468. refert, Tyrannionem hunc multos libros ex bibliotheca Ariſtotelis furto abſtuliſſe. Paullo poſt memorando STRABONIS loco contradicere videtur ATHENAEVS *libr.* I. *dipnoſoph. cap.* I. p. 3. quando Neleum, bibliothecæ Ariſtotelicæ poſſeſſorem, Ptolemæo Philadelpho eam vendidiſſe, tradit, huncque illam Alexandriam deferendam, curaſſe, qui diſſenſus vt tollatur, nonnulli obſeruant, probabile eſſe, Neleum iſtum omnes Ariſtotelis libros deſcripſiſſe, atque ita altera eorum exempla Ptolemæo dediſſe; altera vero ipſum retinuisſe, cui coniecturæ et PETRVS BAELIVS *dictionar. hiſt. crit. tom.* IIII. p. 388. fauet. GER. IO. VOSSIVS de *philoſ. ſectis cap.* XVII. p. 86. exiſtimat, Neleum Philadelpho ſuam bibliothecam; non autem Ariſtotelis libros vendidiſſe.

ſcondiderunt. Heic ſqualor ac putredo illos ita conſumſerat, vt Apellicon, quum eos poſtea emeret ac deſcribendos curaret, frequentes lacunas vix ac ne vix quidem reparare potuerit. Quarum lacunarum reſtitutio, non recte facta, inſignia peperit menda ac critici, poſtquam poſt Apelliconis obitum Sulla totam bibliothecam Romam deuehi iuſſerat, multam adhibuerunt operam, vt et relictas lacunas ſupplerent et iam inepte ſuppletas rite corrigerent, quemadmodum STRABO *s*) diſerte teſtatur. Atque inter hos grammaticos principem Tyrannion, ſummus librorum Ariſtotelicorum æſtimator, obtinuit locum eoque ampliſſimam nactus eſt occaſionem, criticam artem publice profitendi ac romanos, diſcendi cupidos, in ea inſtruendi, præſertim, quum in ſcholis, quas inſtituit, pro conſuetudine iſtius æui, veteres græcos ſcriptores enarraret atque interpretaretur. Vt vero redeam, vnde digreſſus ſum, præter Tyrannionem et L. CRASSITIVS, grammaticus et criticus, genere Tarentinus, Romæ, vt SVETONIVS *t*) teſtatur, cum plauſu docuit atque eruditionem ſuam criticam ſatis per commentarium in carmen vetus, *Smyrna* adpellatum et a poeta Cinno per nouem annorum ſpatium exaratum, demonſtrauit, vt veteres loquuntur. MARC. ANTONII

s) *geogr. libr.* XIII. p. 906. ed. ALMELOVEENII.

t) de *illuſtr. gramm. cap.* XVIII. p. 1083.

TONII GNIPHONIS, quem omnes vno ore ac conſenſu in criticorum referunt cohortem, ſcholas ipſe CICERO, quum iam prætura fungeretur, frequentauit, teſtibus MACROBIO *u*) ac SVETONIO *x*), atque ex huius pariter ac aliorum criticorum in Græcia, in quam litterarum cauſſa profectus erat, recitationibus adeo profecit, vt eximiam ſibi in iſta ſcientia colligeret facultatem, id quod rhetorici eius libri, in quibus ſolide oratores tam græcos; quam romanos diiudicat, ac quæ ad Lucretium explicandum atque emendandum ſuſcepit, abunde docent: conf. PHILIPPVM CAROLI *y*) et HENR. VALESIVM *z*).

XVIII

QVANDO itaque reputamus, veterum romanorum induſtriam, græcorum ſcripta legendi atque explicandi, eo tempore ſingularem extitiſſe, idque commode ſine critices ope fieri non potuiſſe, quum codices, ex Græcia Romam delati, eſſent corrupti, et quando addimus, Tyrannionem aliosque criticos ea tempeſtate in vrbe commoratos fuiſſe ac aperuiſſe ſcholas, facile inde conſtabit, cur et eorum ars fautores atque amatores ſuos Romæ habuerit. His acce-

 debat

u) *libr.* III. *ſaturnal. cap.* 12. p. 412.

x) de *illuſtr. grammat. cap.* VII. p. 1070.

y) *orat. de crit.* p. 11. eius *animaduerſ. in Gellium.*

z) de *critic. libr.* I. *cap.* 12. p. 159.

debat, quod iſti litterarum cauſſa itinera inſtituerent atque, vt omnia, quæ domi didicerant, perficerent, ad græcas muſarum officinas, quas Athenæ, Apollonia, Mitylene aliaque nobiliora oppida habebant, migrarent, eo conſilio, vt ex celebrium doctorum et conſuetudine et inſtitutione eruditionis opes ſibi colligerent collectasque ſecum in patriam deferrent. Probant hoc Ciceronis atque aliorum romanorum peregrinationis litterariæ, enarratæ atque illuſtratæ a CHRIST. CELLARIO *a*), GEORG. NICOL. KRIEGKIO *b*), IO. IOACH. ZENTGRAVIO *c*) et IO. NIC. FVNCCIO *d*). Vti vero Græcia criticorum ferax ac fertilis extitit atque omni fere tempore eiusmodi tulit ingenia ac fouit; ita ampliſſima romanis offerebatur, in arte critica proficiendi, occaſio. Sane fatendum eſt, plurimum apud romanos contribuiſſe ad culturam ſcientiæ huius criticos græcos, vt qui vel ipſi Romam venerunt, vel in Græciam proficiſcentes romanos ita inſtruxerunt, vt poſtea non contemnendos induſtriæ ſuæ fructus patriæ adferre potuerint, quod ex ipſis criticorum exemplis, infra memorandis, ſatis patebit.

XVIIII

a) *diſſertation. academic.* p. 355.

b) *diatrib. de peregr. rom. academ.* Ien. CIↃ IↃCC IIII.

c) *diſſert. de peregrinat. academ.*

d) de *viril. ætate latinæ linguæ part.* I. *cap.* I. §. 23.

XVIIII

NEC parum ars critica bibliothecis debet, quæ erant non ſolum in vrbe, publicæ pariter *e*); ac priuatæ *f*); ſed etiam in villis *g*), ad quas ciues illas transtulerant, vt, relicto vrbis ſtrepitu, ſi quod daretur ipſis otium, laborum ſuorum aliquod haberent leuamentum, id quod in litteris quærendum

e) Cæſar iam in animo habuit, publicam conſtituere bibliothecam, quod propoſitum Auguſtus demum exſequutus eſt; nec ſolum Aſinium Pollionem ad id excitauit; ſed etiam ipſe duarum conditor fuit bibliothecarum, alterius in Octauiæ porticu, cuius præfectus, teſte SVETONIO de *illuſtr. grammat. cap.* XXI. p. 1086. Meliſſus fuit; alterius vero in monte Palatino, cui adminiſtrandæ Hyginus, eius libertus, præpoſitus erat, vt idem ſcriptor *memorato* libro *cap.* XX. p. 1085. teſtatur. De Octauia bibliotheca præter DIONEM CASSIVM *libr.* XXXXVIIII. p. 417. SVETONIVS *excitato libro cap.* XXI. p. 1086. videndus eſt, vbi de octauio librorum adparatu in numero multitudinis loquitur, quoniam veteres græcorum ingenii monimenta a latinis ſeparabant hæcque ab illis diſtinguebant. De Palatina bibliotheca PLINII, DIONIS CASSII aliorumque habemus teſtimonia, quæ apud CELLARIVM *loco memorato* inueniuntur.

f) id quod de Paulli Aemilii ac Luculli conſtat bibliothecis: conf. ISIDORVM *orig. libr.* VI. *cap.* 5. p. 127. et PLVTARCHVM *vita Sullæ tom.* 1. p. 519. *operum*.

g) vide: CICERONEM de *finib. libr.* III. *cap.* 2. PLINIVM *libr.* III. *epiſt.* 7. *libr.* IIII. *epiſt.* 28. MARTIALEM *libr.* VII. *epigr.* 17. et CHRIST. CELLARIVM *diſſert. academ.* p. 357. GEORG. GREENIVM *comm. de ruſticit. vet. roman. tom.* 1. *theſaur. ant. roman. Sallengriani*, p. 690. ſq.

dum eſſe, exiſtimabant. Quantum eiusmodi bibliothecæ *b*), quæ omnibus patebant *i*), contribuerint ad artis criticæ ſtudium, euehendum in altiorem locum; ad reſtituendos ex comparatis inter ſe multis codicibus integros auctores: ad reſarciendas lacunas atque ad remouenda adulterina, quilibet per ſe videbit. Hac enim ope facile cognoſcere falſa ac gloſſemata remouere potuerunt, quod iam ea ætate factum fuiſſe, ATTEII CAPITONIS *liber gloſſematorum k*) multaque alia veterum criticorum ſpeci-

b) plura de bibliothecis veterum romanorum, præter CELLARIVM ac FVNCCIVM, habent ſcriptores de bibliothecis, quos IO. IOACH. MADERVS et poſt illum IO. ANDR. SCHMIDIVS iunctim ediderunt, quibus ceteri, a SAM. PITISCO *lex. ant. rom. tom.* I. p. 276. memorati, adiungendi ſunt.

i) conf. IO. GERARD. MEVSCHENIVM *præf. ad Bartholini diſſ. de libris legendis.*

k) cognoſcimus hoc ex FESTO voc. *ocrem*, p. 137. Mentionem eius facit vetus hoc fragmentum marmoris in æde D. Cæciliæ trans Tiberim, apud GRVTERVM p. IↃ CCC LXXXXVII. *inſcript.* 9.

- - SPETVS. MAG. D. D
- - OMNIA. SCRIPTA. SVNT
QVI. IN. HOC
T. C. ATEIO. CAPITONE
C. VIBIO. POSTVMO. CoS

adde eumdem p. CIↃ L XXXII. *inſcript.* 2. Ex his illuſtrantur, quæ de eius conſulatu TACITVS *libr.* III. *annal. cap.* 75. §. 2. habet: adde SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. de illuſtr. gramm. cap.* X. p. 1074. GERH. IO. VOSSIVM de *hiſt. latin. libr.* I. *cap.* 21. *tom.* IIII. *operum* p. 36.

ſpecimina, quæ de hoc argumento ediderunt, comprobant. Iam Ciceronis æuo critici in remouendis adulterinis operam ponebant, quod tam CICERONIS exemplum apud SVETONIVM *l*); quam alia, infra memoranda, monſtrant. Multæ præterea artis huius ex eo factæ ſunt acceſſiones, quod ipſi poetæ atque oratores ſcripta ſua vel aliis perlegenda *m*) emendandaque tradere; vel publice antea, quam iſta in lucem emitterentur, recitare atque ex eruditorum, qui confluxerant, hominum iudicio ac ſententia corrigere ſolebant. Quæ laudanda conſuetudo, vbi ex ſe conſideratur, iam antiquiſſimo æuo apud romanos floruit *n*); quodſi vero ſolemnes illas recitationes,

l) de *illuſtr. gramm. cap.* XIIII. p. 1079. Veteres criticos codices multos inter ſe comparaſſe eosque emendaſſe; emendatis vero nomina ſua ſubſcripſiſſe, fuſe probarunt HENR. VALESIVS *libro memorato* p. 179. et inprimis PETR. BVRMANNVS *not. ad hunc locum.*

m) CICERO hac ex ratione Atticum orationum ſuarum *Ariſtarchum*; ſiue grauiſſimum adpellat criticum, et de PLINIO conſtat, eum Arriano cuidam ingenii ſpecimen emendandum ac recognoſcendum tradidiſſe.

n) de Pacuuio enim compertum eſt, Accium ei ſua carmina prælegiſſe, teſte A. GELLIO *libr.* XIII. *noct. Attic. cap.* 2. p. 577. edit. GRONOVII, id quod etiam de Terentio veteres referunt ſcriptores. Eam ob rem GVIDO PANCIROLLVS, vbi de recitationibus eiusmodi generatim loquutus eſt, errat, quando *libr. de rebus deperditis*, p. 272. contendit, Aſinium

tiones, quæ in magno hominum confeſſu præſentiaque iudicum peragebantur, cogitamus, iſtæ Auguſti tempore initium ſuum habuiſſe, videntur.

XX

INTER eiusmodi iudices, qui ſententiam de recitatis poematibus aliisque ſcriptis ferebant, TARPA præſertim fuit, cuius CICERO et HORATIVS mentionem fecerunt. Ille, *nobis autem*, inquit, *erant ea perpetienda, quæ Spurius Metius probauiſſet o)*, per

nium Pollionem earum primum fuiſſe auctorem. Adcuratius ſcripſiſſet, ſi Pacuuium nominasſet, quippe qui publicis illis recitatioribns occaſionem dediſſe videtur, in quibus auditores ſignis atque adclamationibus vel ſuam lætitiam ac conſenſum; vel tædium prælegenti ſignificarunt. Quando enim illis recitationes placebant, variis adclamandi formulis, vt: *bene, præclare, belle, feſtiue, non poteſt melius, recte, pulcre, erge*, ii vtebantur. Plura de antiquiori recitandi ritu enarrant: IVSTVS LIPSIVS *centur.* II. *epiſt.* 48. *ad Belg. tom.* III. *operum*, p:892. ſq. GERH. IO. VOSSIVS de *imitat. poetar. cap.* VII. *tom.* III. *oper.* p. 183. et in THOM. CRENII *conſil. et method. ſtudior. optime inſtituendor.* p. 786. ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Theophraſti caract.* p. 126. FRANC. BERNH. FERRARIVS *libr.* III. *de adclamat. vet. tom.* VI. *theſ. ant. rom.* GRAEVII, p. 89. ſq. CASP. SAGITTARIVS de *lectione et imitatione Ciceronis*, p. 192. IO. WOWERIVS de *polymath. cap.* XVI. p. 174. SAM. PITISCVS *lex. ant. rom. tom.* III. p. 600. et CHRISTOPHOR. GOTHOFR. BARTHIVS *diſſ. de recitatione et retractatione veterum.* Halæ, CIϽ IϽ CCI.

o) *libr.* VII. *epiſt.* I. *ad famil. tom.* I. p. 362. edit. GRAEVII.

per quem *Spurium* neminem alium; niſi hunc Tarpam intelligit; hic vero de iſto canit *p*):

turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
defingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo,
quæ, neque in æde ſonent, certantia, iudice Tarpa;
nec redeant iterum atque iterum ſpectanda theatris,

alio vero loco *q*):

ſi quid tamen olim
ſcripſeris, in Metii deſcendat iudicis aures
et patris et noſtras.

Vbi per Metium itidem Spurium Metium Tarpam innuit, quod BENTLEIVM *r*) ignoraſſe, ex eo colligendum eſſe, videtur, quoniam vocem *Mæcii* poſuit, quæ ſcriptio non tantam; quantam noſtra, probabilitatem præ ſe fert, præſertim, quum ipſe BENTLEIVS neſcit; qualis Mæcius hic eſſe debeat. Horum, de quibus loquor, iudicum et in inſcriptionibus fit mentio, vti ex ea *s*), quam hic adfero, videri poteſt:

L. VA-

p) *libr.* I. *ſermon. eclog.* 10. *v.* 36. p. 438. ed. BENTELII. adde HENRIC. STEPHANVM de *criticis vet. græc. et latinis,* p. 26.

q) *art. poet. v.* 387. p. 697.

r) *not. ad hunc locum* p. 697.

s) apud IAN. ORVTERVM *inſcription.* p. CCCXXXII. *num.* 3.

L. VALERIO. L. F

PVDENTI

HIC. CVM. ESSET. ANNORVM

XIII. ROMAE. CERTAMINE

IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO

SEXTO. CLARITATE. INGENII

CORONATVS. EST. INTER

POETAS. LATINOS. OMNIBVS

SENTENTIIS. IVDICVM

XXI

SAEPE etiam fiebat, vt plures ſimul in eiusmodi conuentu ſollemniori vires ſuas experirentur et de præmio diſceptarent, id quod *committere*, ſcilicet: duos; vel plures in certamen, dicebatur. Et, vti hæc loquendi ratio de gladiatoribus, teſtibus SVETONIO *t*), LIVIO *u*) aliisque; ita etiam de oratoribus et poetis in vſu fuit, quemadmodum hoc SVETONIVS *x*), AVCTOR *vitæ Iuue-*

t) *vit. Claud. cap.* XXXIIII. §. 6. *vit. Aug. cap.* XXXXV. §. 5. *cap.* XXXXIII. §. 13. *vit. Galb. cap.* VI. §. 1.

u) *libr.* II. *cap.* 36. *tom.* I. *operum*, p. 132. edit. CLERICI: adde GVIL. BVDAEVM ad *pandect.* p. 117. ADR. TVRNEBVM *libr.* XXI. *aduerſar. cap.* 29. p. 703. IVST. LIPSIVM *libr.* II. *ſaturnal. ſermon. cap.* 19. *tom.* III. *operum*, p. 966. ANT. THYSIVM de *gladiatorib.* p. 231.

x) hæc *vit. Claud. cap.* XXXXI. §. 2. leguntur verba: *quum primum frequenti auditorio commiſiſſet, ægre perlegit, refrigeratus ſæpe a ſemetipſo*, vbi *refrigerari* ſignificat: *parum ſecundis adclamationibus excipi.* Vox *frigus* opponitur *fauori*, quem recitantes ſibi ab auditoribus colligebant, et

ita

Iuuenalis y), qui fortaſſe ipſe SVETONIVS eſt z), et TERTVLLIANVS *a)* comprobant. Hinc et Auguſtus imperator non permittere volebat, vt nomen eius *meris obſoleſieret commiſſionibus b)*; ſiue, vt crebra ac frequens illius mentio fieret in his poetarum certaminibus, quoniam exiſtimabat, rhetorum laudes, qui nullum illarum modum tenere ſolebant, gloriæ eius officere potius; quam prodeſſe. Sit et CALIGVLA *c)*, *meras commiſſiones compoſuiſſe Senecam*, pro-

ita etiam apud SENECAM *libr.* II. *controu. cap.* II. *tom.* III. *operum*, p. 187. vſurpatur, cui VELLEIVS PATERCVLVS *libr.* II. *cap.* 83. §. 2. adiungi poteſt. Ad vocem *committere* vt redeamus, eam etiam in eadem ſignificatione a memorato SVETONIO de *illuſtr. gramm. cap.* XVII. §. I. adhibitam eſſe, legimus, quando ita ſcribit: *Verrius Flaccus libertinus, docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda diſcentium ingenia æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent: ſed et præmio, quod victor auferret.* Idem et confirmant hæc verba TERTVLLIANI *aduerſ. gnoſtic. cap.* VI. *ita ab æuo digniſſimum eſt ſtudiorum experimentum, committere artes, corporum et vocum præſtantiam expendere, præmio indice, ſpectaculo iudice, ſententia voluptate.*

y) §. 2. apud SVETONIVM p. 1106. edit. PITISCI, vbi *tamen diu*, inquit, *ne modico quidem auditorio quidquam committere es auſus.*

z) SALMASIVS *exerc. Plinian.* p. 320. oſtendit, eos errare, qui Valerium Probum pro auctore huius vitæ putant.

a) loco iam *memorato.*

b) vide SVETONIVM *vit.* eius *cap.* LXXXVIIII. §. 8.

c) conf. eumdem *vit. Caligul.*

pronuntiauit, hisque verbis tumidam illam atque inflatam philoſophi dictionem reprehendit atque indicare voluit, eam omnis grauitatis expertem eſſe et nihil; niſi fucum facere, vanamque oſtentationem prodere. Atque ad hæc certamina iudices præſertim illi, de quibus iam dixi, adhibebantur, vt ſententiam ſuam dicerent, cuinam recitantium præmium eſſet adſignandum. Morem hunc romani a græcis acceperunt, apud quos πέντε κριτὰς hanc in rem conſtitutos fuiſſe, antiquitatis litteratæ monimenta tradunt *d*). Ab his publicis *com-*

ligul. cap. LIII. §. 3. et adde de his *commiſſionibus* ac voce *committere:* GVIL. BVDAEVM ad *pandect.* p. 117. ADR. TVRNEBVM *libr.* XXI. *aduerſar. cap.* 29. IVST. RYCKIVM de *Capitol. cap.* XXXV. p. 130. edit. Gandau. NIC. HEINSIVM *diſſert. de veræ crit. apud vet. ortu, progreſſu et vſu,* p 160. ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Suetonium* p. 279. edit. GRAEVII: SAM. PITISCVM *lex. ant. rom. tom.* I. p. 152. CHRIST. GOTTLIEB SCHWARZIVM *diſſert. de certaminibus veterum poetarum atque oratorum,* Altorf. ∞ IↃ IↃ CC XXVIII. et CONSTANT. LANGIVM *orat. de cenſoribus veterum litterariis,* Ienæ, ∞ IↃ IↃ CCLIII.

d) ex eo apud græcos natum eſt illud prouerbium: ἐν πέντε κριτῶν γόνασι κεῖται, quo ſignificare voluerunt, nobis non datam eſſe facultatem, rei exitum videndi; ſed heic quemadmodum in certaminibus, ita eſſe comparatum, vt nemo ſciat, quis præmium ſit ablaturus, quum omnia a iudicum dependeant ſententia: vide IO. WOWERIVM *polym. cap.* XVII. p. 174. GER. IO. VOSSIVM de *imitat. cap.* XI. *tom.* III. *operum,* p. 189.

commiſſionibus ortum eſſe videtur illud, comparandi ſcriptores, genus, quod *σύγκρισις* vocabatur ac priuatim ita fiebat, vt quilibet veteres auctores inter ſe conferret atque animaduerteret, in quibus ſcribendi virtutibus pariter; ac vitiis alter alterum ſuperaret *e*).

XXII

EXERCITIIS his ac comparationibus ars critica apud romanos ita creuit, vt HEINSIVS *f*) aperte profiteatur, totam criticæ *διορθωτικῆς* et *αἰσθητικῆς* originem ad veterum conſuetudinem, ſcripta recitandi et cum aliis certandi, referendam eſſe. Ita enim romani comparabant ſibi facultatem, de poetarum ſcriptis deque elegantia ac vitiis illorum iudicandi: ita diſcebant diuerſitatem ſtili; ex hac autem argumentationem inſtituebant de diſcrimine inter germanos ac falſos libros, quumque hæ comparationes diligentem requirerent ſcriptorum lectionem; tum ſcribendi rationem, ſingulorum auctorum propriam, ſibi ita veteres eius ope cognitam reddebant, vt ſine offenſione priſcos ingenii fetus tam intelligerent rite; quam emendarent feliciter. Præterea eruditi non ſolum ad ſacra munera admittebantur; ſed etiam

p. 189. et DESID. ERASMVM *adagior. chil.* II. *centur.* 8. *n.* 58. p. 577. edit. Froben.

e) lege IAN. RVTGERSIVM *var. lection. libr.* IIII. *cap.* 12. p. 355.

f) *libro laudato*, p. 160.

iis facultas dabatur, libros, qui ad religionem ſpectarunt, et cuius generis *indigitamenta* pontificum, libri *augurales*, *haruſpicini*, *fulgurales*, *rituales*, *oracula Sibyllina* et *carmina Marciana* fuere, legendi atque interpretandi. Hoc de VARRONE pariter atque VIRGILIO compertum eſt, quorum ille, his inſtructus præſidiis, ſex et decem de *rebus diuinis* exarauit libros; hic vero ex eiusmodi libris nomina deorum deſcripſit, vti NIC. HEINSIVS *g*) aliique obſeruant. Quando igitur ſingulare romanorum ſtudium, græcorum libros legendi atque explicandi, conſideramus: quando expendimus, non contemnendos criticos eo tempore Romam veniſſe: romanos inſtituiſſe ſcholas ac bibliothecas et in Græcia doctiſſimis vſos eſſe præceptoribus: habitas præterea fuiſſe ſolemnes recitationes, quibus ſingulares præfuerint iudices, ipſosque eruditos inſpexisſe libros ſacros, facile ex his omnibus patebunt cauſſæ, cur ars critica Sullæ ac priorum imperatorum æuo tam egregie culta fuerit et cur tantas progreſſiones per breue temporis ſpatium fecerit.

XXIII

STATIM igitur poſt Sullæ tempora multi Romæ extiterunt, qui criticorum laudem conſectarentur hancque diſciplinam publice et ſumma cum dignitate ac plauſu profiterentur.

g) *diſſ. de veræ crit. apud vet. ortu, progreſſ. vſuque* p. 173.

tur. Silens transeo ſupra a me iam memoratos, CRATETEM *Malloten*, TYRANNIONEM, DIONYSIVM *Alexandrinum* aliosque criticos, qui ex Græcia Romam delati, ibi publicas recitationes inſtituerunt atque in ſcholis veterum potiſſimum poetarum carmina explicarunt. Præter hos, haud pauci iisdem ſtudiis ſeſe addixerunt atque ea, quæ partim ex Græcia eo transtulerant: partim in ipſa didicerant vrbe, aliis tradiderunt eorumque ingenia ad ornandam hanc diſciplinam præpararunt. His adnumerandi ſunt: SISENNA, STILO, SANTRA ac reliqui critici, quorum apud GER. IO. VOSSIVM *b*) et IO. ALB. FABRICIVM *i*) fit mentio; præ aliis autem heic memorandus ſua ætate ſummus eruditiſſimarum rerum inueſtigator, VARRO, vir prætorius et in piratico bello Cneii Pompeii legatus, qui quantum in critica arte præſtiterit, tot ab eo exarati libri, inprimis illi, teſtimonio ſunt, quibus de latina lingua diſputauit et ſæpe ARISTOPHANIS, ARISTARCHI, CRATETIS ac reliquorum criticorum meminit. Splendor critici ingenii, quo præditus fuit, fortaſſe magis eluceret, vbi ad poſteritatem tres eius de *diſciplina*; ſiue *ratione etymologica* libri perueniſſent; quos temporum inuidia nobis abſtulit. Præter CICERONEM, de cuius

E 2

b) de *art. grammat. libr.* I. *cap.* 6. *tom.* II. *operum*, p. 9.

i) *biblioth. latin. volum.* III. p. 773.

ius artis criticæ ſcientia ſupra iam dixi, in his ſtudiis ingenia exercuerunt: LVCIVS CRASSITIVS. Q. CAECILIVS EPIROTA, ATTEIVS *philologus*, ANTON. GNIPHO *k*), VALERIVS MESSALA CORVINVS, ANDRONICVS *Rhodius*, quorum poſteriorum ille, vt QVINCTILIANVS *l*) teſtatur, integros libros de ſingulis fere litteris compoſuit; hic vero non ſolum Ariſtotelem eſt interpretatus; ſed etiam eius ſcripta germana ab adulterinis diſtinxit eumque emendandum ac corrigendum ſuſcepit *m*). Ipſos imperatores laudem artis huius ſibi comparaſſe, CAESARIS de *analogia* ad M. Ciceronem conſcripti libri comprobant, quippe quos CICERO *n*), QVINCTILIANVS *o*), A. GELLIVS *p*), MACROBIVS *q*) valde laudant et varia effata ex illis adferunt, quæ imperatoris vim ingenii commendant. Idem de CAESARE *Germanico* eſt adfirmandum, qui Aratum non ſolum in latinum transtulit ſermonem; ſed etiam, ne ſplendori huius poetæ quid deeſſet, doctiſſimis ornauit com-

k) vid. de his CASPAR. SCIOPPIVM *diſſ. de criticis* p. 80. et GERARD. IO. VOSSIVM de *arte gramm. libr.* 1. *cap.* 6. FVNCCII FABRICII aliorumque non mentionem facio.

l) *libr.* 1. *inſtit. orator. cap.* 7. p. 92. edit. BVRMANNI.

m) vid. HENR. VALESIVM de *crit. libr.* 1. *cap.* 21. p. 169.

n) *Bruto, cap.* LXXV.

o) *libr.* 1. *inſtit. orator. cap.* 1. p. 92. edit. BVRMANNI.

p) *libr.* 1. *noct. Attic. cap.* 10. p. 67. edit. GRONOVII.

q) *libr.* 1. *ſaturn. cap.* 5.

commentariis *r*), ita, vt critici laudem omni iure ſibi conciliaret, quemadmodum id OVIDIVS *s*), quum *faſtos* ſuos ei conſecrat, haud obſcure his ſignificat verſibus:

pagina iudicium docti ſubitura mouetur
principis.

His ADRIANVS *t*), qui cum grammaticis haud ſemel diſputauit, atque alii imperatores adiungendi ſunt.

XXIIII

LAVDE doctrinæ ac ſcientiæ criticæ haud inferiores porro fuerunt: ASCONIVS PEDIANVS, cuius mutili; præſtantiſſimi tamen, in quasdam Ciceronis orationes *commentarii*, filiis dicati, de eruditione aucto-

 ris

r) alii verſionem hanc non Germanici; ſed Cæſaris dictatoris eſſe, adfirmant; ſed, vt merito iudicat IOAN. ALB. FABRICIVS *bibl. latin. volum.* I. p. 173. confundunt illum cum Cæſare Germanico, qui etiam, teſtibus PLINIO *libr.* XVIII. *hiſt. nat. cap.* 25. et MACROBIO *libr.* I. *ſaturn. cap.* 16. de *ſiderum motu* libros compoſuit. GERARD. IO. VOSSIVS de *natur. artium libr.* III. *cap.* 35. *tom.* III. *operum*, p. 118. et de *poetis latinis* p. 242. ac IAN. RVTGERSIVS *libr.* II. *var. lect. cap.* 9. p. 132. pro Domitiano imperatore hac in re pugnare, videntur; ſed eos errare, ſatis ex illis argumentis, quæ CASP. BARTHIVS *libr.* X. *aduerſar. cap.* 21. p. 498. collegit, patet.

s) *libr.* I. *faſt. v.* 19. *tom.* VI. *operum*, p. 4. edit. BVRMANNI.

t) vide SPARTIANVM *vit. Adriani cap.* XX. *tom.* I. *ſcriptor. hiſt. Aug.* p. 182.

ris ſui locupletes teſtes ſunt *u*): VERRIVS FLACCVS, ſub Tiberio defunctus, quem pari modo inſignem grammaticum ac criticum fuiſſe, SVETONIVS *x*) haud obſcure ſignificat: TVCCA et VARVS, Auguſti tempore celebres critici, de quibus SERVIVS *y*) tradit, iis ab Auguſto prouinciam traditam eſſe, libros VIRGILII *Aeneidos*, quos poeta, per mortem impeditus, nec perlegere; nec corrigere potuit, rite emendandi ac ſuperuacua proſcribendi. Quo munere non admodum feliciter et, vt prudentes ac veros decet criticos, eos perfunctos eſſe, ex initio libri primi *Aeneidos* et ex alio loco huius poetæ *z*) facile demonſtrari poteſt, vbi, neſcio, quo corrigendi ac ſecandi furore abrepti, duos et viginti verſus ob leues rationes familia ſubmouere eosque delere, ſibi ſumſerunt, id quod non ſolum doctiſſimi VIRGILII interpretes; ſed etiam HENR. STEPHANVS *a*) ſatis et abunde oſtendunt. Ad eamdem criticorum claſſem C.

IVL.

u) commentarios hos ſub Claudio imperatore exaratos eſſe, ſignificant verba illorum, vbi Longi Cæcinæ mentio fit, qui cum Claudio conſul fuit, vt ex *faſtis conſularibus*, ab HENR. NORISIO *tom.* II. *operum*, p. 1051. editis, adparet: conf. IO. ALB. FABRICIVM *bibl. latin. vol.* I. p. 339.

x) de *illuſtr. grammat. cap.* XVII. p. 1082.

y) *comm. ad init. libri* I. *Aeneid. tom.* I. *oper.* p. 304. edit. MASVICII.

z) *libr.* II. *v.* 567. ſq. *tom.* I. *operum*, p. 470.

a) de *crit. vet. græc. et latin.* p. 49. ſq.

IVL. HIGINIVS, quem libri, manu exarati, et *Hyginum*; vel *Higenum* ſcribunt, referri debet, qui Augusti libertus exſtitit et a Cæſare; Alexandria capta, Romam delatus eſt ibique, vt videtur, haud parum ad artis criticæ incrementa contulit et ad eiusmodi ſtudia romanorum animos excitauit. Scripſit enim, præter alia *b*), in Virgilium commentarios; quorum MACROBIVS *c*) et A GELLIVS *d*) mentionem faciunt, hicque haud obſcure ſignificat, eum inter criticos ſedem ſibi comparaſſe *e*). Idem etiam de PALAEMONE *f*) dici poteſt. Huic recte adiungi-

b) conf. ELIAM VINETVM *ad Suetonium de illuſtr. grammat. cap.* XX. GERARD. IO. VOSSIVM de *hiſtor. latin. libr.* I. *cap.* 20. *tom.* IIII. *oper.* p. 33. IO. HARDVINVM in *indice auctor. qui a Plinio maiore adpellantur, tom.* I. p. 116. eius *editionis Plinii*: IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. latin. volum.* I. p. 304. SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. de illuſtr. grammat.* p. 1084. Ex antiquis grammaticis plures Virgilio commentariis lucem accendere ſtuduere, Aruſianus videlicet Meſſus, Aemilius Aſper, L. Annæus Cornutus, Carminius, Aruntius Celſus, Flauius Caper, Martius Salutaris, Rufus Apronianus ac reliqui; quoniam vero eorum libros fortuna nobis haud indulſit, de iis etiam non iudicari poteſt, num ad criticorum; an ad grammaticorum ordinem referendi ſint.

c) *libr.* VI. *ſaturnal. cap.* 9.

d) *libr.* I. *noct. Attic. cap.* 14. *libr.* X. *cap.* 16. *libr.* XVI. *cap.* 6.

e) conf. HENR. STEPHANVS, *memorato libro* p. 197.

f) vid. SVETONIVM de *illuſtr. grammat. cap.* XXIII. p. 1087. PLINIVM *libr.* XIIII. *hiſt. natur. cap.*

iungimus ASINIVM POLLIONEM ac SENECAM, quorum ille non ſolum hiſtorici, vt SVETONIVS *g*), HORATIVS *h*), SVIDAS *i*) atque alii docent; ſed etiam critici nomen eſt profeſſus; quamuis non ſemper optato ſucceſſu, id quod lata ab eo de Cæſare, Cicerone, Tito Liuio Salluſtioque iudicia oſtendunt; hic vero ſe adcuratum veterum ſcriptorum iudicem, præbuit et tam in *controuerſiarum* libris *k*) de oratoribus aliisque eruditis, nominatim: Montano Votieno, Triario, Muſa cet. ſolide pronuntiauit; quam in *epiſtolis* variis *l*) de poetis grauiter ſententiam dixit *m*). Alios criticos, qui in idem inciderunt tempus, breuitatis cauſſa non commemoro.

XXV

IAM a me enarratis criticis alii haud minoris famæ ac dignitatis ſucceſſerunt, qui parata a maioribus via et patefacto aditu, artem hanc ad maiorem adduxerunt perfectionem.

cap. 4. QVINCTILIANVM *libr.* I. *inſtit. orator. cap.* 4. p. 46. edit. BVRMANNI.

g) *vit. Cæſar. cap.* XXX. p. 59. de *illuſtr. grammat. cap.* X. p. 1074.

h) *libr.* II. *od.* I. *v.* I. et 10.

i) *lex. voce:* Ασίννιος Πωλλίων *tom.* I. p. 350. De Aſinio Pollione elegantem edidit diſſertationem vir cel. CHRIST. HENR. ECKHARDVS Ienæ, anno CIↃ IↃ CCXXXXIII.

k) *controuerſ.* XX. et XXVIII. *epiſt.* CIIII. CVIII.

l) *epiſt.* LVIIII. et LXXXVI.

m) lege HENR. STEPHANVM de *crit. græc. et latin.* p. 249. et 285.

ctionem. In his locum ſuum habet VALERIVS PROBVS, quem alii ad primum; alii vero ad ſecundum transferunt ſeculum et ſub Adriano imperatore vixiſſe contendunt. Ab HIERONYMO *n*) *eruditiſſimus grammaticorum* et a GELLIO *o*) *grammaticus illuſtris vocatur;* SVETONIVS *p*) autem de eo dicit: *multa exemplaria contracta emendare ac diſtinguere et adnotare curauit, ſoli huic; nec vlli præterea parti grammatices deditus*, quibus verbis ſignificat, Valerium hunc variis criticorum laboribus eſſe perfunctum. Emendauit enim loca corrupta: adnotauit ſpuria, aliena, dubia, atque effata inſigniora hancque in rem variis ſignis vſus eſt, quæ inter ſe maxime diuerſa erant *q*): præterea diſtinxit

n) in *chron. Euſebii* ad an. MMVII.

o) *libr.* I. *noct. Attic. cap.* 15. p. 89. edit. GRONOVII.

p) de *illuſtr. gramm. cap.* XXIIII.

q) ex veteribus de his ſignis criticorum commentati ſunt: HEPHAESTIO, PHILOXENVS, DIOGENES *Cyzicenus*, SVETONIVS; quorum autem ſcripta per temporum inuidiam perierunt: item: ORIGINES, EPIPHANIVS, ISIDORVS, et ex recentioribus: AEGID. MENAGIVS et ISAAC. CASAVBONVS *not. ad* LAERTIVM *libr.* III. *ſegm.* 64. p. 203. et 161. idem ad *Athenaeum libr.* VII. p. 508. IO. WOWERIVS *polym. cap.* XVII. IO. REINESIVS *libr.* I. *var. lect. cap.* 7. p. 20. ſq. *epiſt. ad Hofmannum* XXV. p. 93. MICH. MEISNERVS *ſyntagm. philol. de adnotamentis criticorum:* LVD. KVSTERVS *hiſt. crit. Homeri* p. 94. BERNH. DE MONTFAVCON *palaeogr. graec. libr.* I. *cap.* 5. p. 34. et

ſtinxit punctis, pro ſitu aliter atque aliter valentibus, ipſos libros, quum ante Ariſtophanem, qui tria eiusmodi ſeparandi ſigna, *τελέιαν* videlicet *στιγμὴν*, *ὑποστιγμὴν* et *μέσην* inuenit, voces omnes vno ac perpetuo ductu, ſine vllo inter iſtas relicto ſpatio, ſcriberentur *r*). Eximium quoque inter criticos, quos enumerare cœpi, locum ſibi vindicant: GALENVS, medicorum veterum princeps: A. GELLIVS, QVINCTILIANVS atque alii. GALENVS XXXXVIII. libris vocabula, Atticis ſcriptoribus vſitata, perſequutus et de forenſibus vocibus apud Eupolim, Ariſtophanem et Cratinum commentatus eſt, ac ſingulari libro in id inquiſiuit: *num idem poſſit eſſe criticus et grammaticus*. Inprimis eruditionem ſuam criticam doctis-

et *libr.* V. *cap.* 5. p. 370. ANDR. CHR. ESCHENBACHIVS *diſſ. de veterum criticorum σημειώσεσι*, quæ in eius *diſſertat. academicis* p. 215. et CRENII *ſynt.* II. *diſſ. phil.* p. 283. exſtat: IO. NIC. FVNCCIVS de *ſcriptur. vet.* p. 333. PITHOEVM, DAVSQVEVM, CAROL. DVFRESNE, SCALIGERVM, VALESIVM aliosque non commemoro, qui a IO. FRID. MAYERO *diſſ. de notis biblicis, hiſtor. verſion. germ. biblior. Lutheri* addita: IO. ALB. FABRICIO *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* 2. *tom.* I. p. 274. et PETRO BVRMANNO iuniore *not. ad Valeſium de critic. libr.* I. *cap.* 23. p. 171. recitantur.

r) conf. HENR. STEPHANVM *de crit. græc. et latin.* p. 74. IO. CLERICVM *art. crit. vol.* II. p. 123. CLAVD. SALMASIVM *epiſt. ad Sarrauium* p. 235. IO. NIC. FVNCCIVM de *ſcriptur. veter.* p. 159.

doctiſſimis in Hippocratem commentariis, quibus falſæ vetuſtiorum interpretum explicationes caſtigantur, ſatis teſtatam fecit *s*). AVLVS GELLIVS, vt HENR. DODWELLVS *t*) oſtendit, ſub Antonino Pio floruit ac reliquit *noctes Atticas*, teſtes ſane locupletes de peritia eius critica deque iudicandi vi ſingulari, qua præditus fuit. QVINCTILIANVS in *inſtitutionibus oratoriis* non ſolum præcepta de arte bene dicendi: de ratione concitandorum affectuum: generibus et vſu ſententiarum: inuentione propoſitionum: legendi atque imitandi modo tradidit; ſed etiam de ſuperioris et ſui æui ſcriptoribus, poetis pariter; ac hiſtoricis adcurate iudicauit, ſibique boni ac veri critici conciliauit nomen ac dignitatem. FAVORINVM *philoſophum u*) ac ceteros ætatis huius criticos tacitus prætereo.

XXVI

s) legantur: PHILIP. IAC. MAVSSACVS *diſſ. crit. ad Harpocrat.* p. 399. et HENR. VALESIVS de *critic. libr.* I. *cap.* 22. p. 170.

t) *diſſert. de ætate peripli maris Euxini* §. X. *tom.* I. *geograph. minor.* HVDSONII, p. 117.

u) huius ſæpe meminit A. GELLIVS, *libr.* I. *cap.* 3. p. 43. *cap.* 10. p. 65. *libr.* II. *cap.* I. p. 126. *cap.* 12. p. 151. *cap.* 26. p. 186. *libr.* III. *cap.* I. p. 207. *cap.* 16. p. 243. multisque aliis locis, in quibus frequentes eius cum grammaticis diſputationes memorat. Eiusdem *libri cap.* 19. teſtatur, Fauorinum et ſtudio etymologico ſeſe dediſſe. In libris eius *ἀπομνημονευμάτων* multa fuiſſe, quæ ad artem criticam ſpectant, ex DIOGENE LAERTIO

vit.

XXVI

NEC ſequenti æuo, ſeculis videlicet poſt reparatam mortalium ſalutem tertio et quarto, defuerunt, qui ſummam diligentiam ad artem criticam conferrent, idque eo magis, quo corruptiores manu exarati libri partim per librariorum negligentiam; partim per ineptorum et inferioris ordinis grammaticorum inſcitiam in dies reddebantur. Hi enim, quum in auctoribus varia, quæ ſupra illorum intelligendi vires adſcendebant, deprehenderent, de medicina, ſanis locis adhibenda, cogitabant; quoniam vero ea ab indoctis proficiſcebatur, ſcriptores priſci corrupti potius; quam ſanati ſunt. Ad illos, qui locum inter celebriores huius æui criticos tuentur, referendus eſt DIONYSIVS LONGINVS, qui Athenis pariter ac Romæ litteris operam dedit, et cum philoſophiæ ſtudiis artem criticam con-

vit. philoſ. libr. I. *ſegm.* p. 49. *libr.* II. *ſegm.* 23. p. 94. *ſegm.* 39. p. 104. *libr.* III. *ſegm.* 19. p. 177. *ſegm.* 25. p. 180. *libr.* V. *ſegm.* 76. p. 307. *libr.* VIIII. *ſegm.* 20. p. 560. edit. MENAGII patet Alius FAVORINI, qui orator fuit, GELLIVS *libr.* XV. *cap.* 8. meminit; merito vero de lectionis huius veritate dubitatur, quum ea, quæ inſcriptio capitis huius de lege Licinia refert, non conueniunt cum Fauorino, qui legem iſtam de ſumtu minuendo ſuaſit. Quare iam PETR. PITHOEVS pro *Fauorino* nomen *Fannii* poſuit, quem et IAC. OISELIVS ſequitur. GRONOVIVS *P. Augurini:* alii *Fauonii* ſcribendum eſſe, exiſtimant.

coniunxit, atque in iſta adeo profecit, vt EVNAPIVS *x*) de eo ſcribat: Λογγῖνος δὲ κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον βιβλιοθήκη τὶς ἦν ἔμψυχος, καὶ περιπατȣ̃ν μȣσεῖον, καὶ κρίνειν γε τȣ̀ς παλαιȣ̀ς ἐπετέτακτο· καθάπερ πρὸ ἐκείνȣ πολλὰ τινες ἕτεροι, καὶ ὁ ἐκ Καρίας Διονύσιος πάντων ἀριδηλότερος, *ea tempeſtate erat Longinus, ſpirans quædam bibliotheca ac viuum muſeum, cui de veteribus iudicandi poteſtas permiſſa erat: quo munere ante illum, vt alii non pauci; ita et Dionyſius e Caria cunctis illuſtrior perfunctus fuerat.* Quo et pertinet, quando PORPHYRIVS eum κριτικότατον καὶ τὸν ἐν κρίσει πρῶτον ὄντα καὶ ὑπειλημμένον ἄχρι νῦν, *criticorum principem, qui eſt et habetur ab omnibus etiamnum*, adpellat. His alios celebres veterum ſcriptorum iudices poſſem adnumerare, nominatim: MACROBIVM, ACRONEM, DONATVM, SERVIVM, PROCLVM, ſed enarrata exempla ad argumenti mei explanationem ſufficiunt.

x) *vit. philoſoph.* p. 16.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM
DE
CRITICIS VETERVM ROMANORVM EORVMDEMQVE PRAECIPVIS OFFICIIS

ΣΥΝΟΨΙΣ.

DICENDORVM *ſumma indicatur,* I

quumque criticos de græcis pariter ac latinis ſcriptoribus meruiſſe, monſtratum eſt, II

agitur de muneribus, quibus iſti perfuncti ſunt, atque oſtenditur, eos ſeparaſſe libros germanos ab adulterinis, vbi comprobatur, ſæpenumero veterum ſcriptis noua ſubſtituta eſſe, III. IIII

variasque erroris huius exſtitiſſe cauſſas, nimirum I. *librariorum fraudem:* V. VI. VII

II. *nominum apud veteres ſimilitudinem:* VIII

III. *fallaciam variorum auctorum ac* IIII. *ignorantiam grammaticorum.* IX

Monſtratur, quomodo critici libros germanos ab adulterinis ſeiunxerint, X. XI

eosque hanc in rem librorum indices exaraſſe ac de ſcriptoribus ſynonymis commentatos eſſe XII. XIII. XIIII. XV.

multaque criteria critica ad ſecernenda ſcripta germana ab adulterinis adhibuiſſe. XVI. XVII

His ad finem perductis, diſſeritur de emendatione locorum corruptorum, ita vt de gloſſematibus: notis criticorum: variis corruptionum generibus et criticorum inſignibus hac de re meritis exponatur XVIII - XXV

ac de criticorum officio, quo de veterum auctorum ætate, ſcribendi vitiis ac virtutibus iudicarunt. XXVI.

I QVVM

* *

I

QVVM hoc capite de arte critica romanorum diſputare atque in iſta inprimis antiquorum, quos Roma tulit ac fouit, criticorum inſignia erga priſcos Græciæ pariter ac Latii auctores merita rite enarrare conſtitui, haud alienum ab hoc inſtituto eſſe, exiſtimo, pauca de diſcrimine inter criticos ac grammaticos præfari et monſtrare, qualis apud veteres eorum diſciplinæ exſtiterit differentia. Antiqui ſcriptores in definienda natura atque indole artis pariter grammaticæ ac criticæ non conueniunt; diuerſæ autem eorum ſententiæ facili negotio inter ſe poſſunt conciliari, vbi obſeruamus, vocabulum *grammatices* mox *late:* mox *ſtricte* in priſcis ingeniorum monimentis eſſe vſurpatum. Multi quidem id ſenſu ſtrictiori acceperunt; plerique tamen fines artis huius amplificarunt atque artem *grammaticam* in μεθοδικὴν, ἱςορικὴν atque ἰδιαιτερὴν; ſiue τελειοτέραν diſpertiendam eſſe, putarunt, cum quibus ii conſpirant, qui, mutatis nominibus, artem hanc in τεχνικὴν, ἐξηγητικὴν ac κριτικὴν diſtingunt, vti hoc non ſolum SEXTVS *Empiricus a)*; ſed

a) libr. 1. aduerſ. grammat. cap. 4. p. 436. edit. FABRICII.

ſed etiam alii, a doctisſimis viris PHIL. IAC. MAVSSACO *b*), GERARD. IO. VOSSIO *c*), IO. CLERICO *d*), IO. WOWERIO *e*), SAM. PITISCO *f*), HENR. VALESIO *g*) et IO. NIC. FVNCCIO *h*) memorati, abunde docent. Ita quoque apud veteres tres conſtituebantur grammaticorum claſſes. Nonnulli vocabantur grammatici *technici* hique prima litterarum fundamenta pueros docebant. Alii erant grammatici *exegetici*; ſiue *hiſtorici*, qui libros, tam ſoluta; quam ligata oratione conſignatos, interpretari: res, in illis traditas, illuſtrare ac in vocum veras ſignificationes omni ſtudio inquirere ſolebant. Ab his diſtincti fuerunt *critici*, quorum officium in eo potiſſimum poſitum fuit, vt ſcripta germana ab adulterinis ſepararent: gloſſemata, quæ irrepſerant, ſubmouerent ac loca corrupta rite emendarent. Critici hi ſæpe in grammaticorum *hiſtoricorum* fundum ſeſe demittebant eorumque muneribus perfungebantur, quod multis demonſtrari poſſet exemplis, vbi commentationis, quem mihi præſcripſi, modus id permitteret. Sedulo igitur munera criti-

corum

b) *diſſ. crit. in Harpocrat.* p. 381.

c) *libr.* I. *de art. gramm. cap.* VI. p. 6.

d) *part.* III. *art. crit. ſect.* I. *cap.* 2. p. 27.

e) *polymath. cap.* VIII. p. 65.

f) *not. ad Sueton.* p. 1079.

g) *libr.* I. *de critic. cap.* I. p. 144.

h) *de latin. linguæ viril. ætat.* p. 34.

corum ab iis diſtinguenda ſunt, quæ in ſe, tamquam grammatici hiſtorici, ſuſceperunt. Proprium ac præcipuum criticorum munus adid ſpectauit, vt veterum ſcriptorum integritati rite conſulerent eamque omni modo tuerentur; quum autem vetuſta ingeniorum monimenta variis morbis laborarent ac vitiis, rei neceſſitas poſtulabat, vt pro diuerſitate morbi diuerſam quoque iis adhiberent medicinam. Proinde triplex potiſſimum munus criticis commiſſum eſſe, legimus *i*). Primum enim fetus inge-

i) merita veterum criticorum erga antiquos auctores haud exigua ſunt. Nihil; aut certe parum de incorruptis priſcis ingeniorum monimentis ad nos delatum fuiſſet; niſi critici operam ſuam ad id adhibuiſſent, vt veterum ſcripta integra ad poſteritatem transmitterentur, ac inprimis ex comparatis inter ſe probæ notæ codicibus corrupta emendaſſent: lacunas ſuppleuiſſent: gloſſemata ſuſtuliſſent et locis fœdatis priſtinam ſuam elegantiam conciliaſſent: Ita quoque multa adulterina pro germanis haberentur; niſi fraudem critici nobis aperuiſſent. Quis quæſo nobis diceret, *ethicam Ariſtotelis*, Nicomacho, eius filio, a nonnullis tributam eſſe? et vnde nobis eſſet exploratum, multos fetus adulterinos eius ingenio eſſe adtributos, niſi hoc DIOG. LAERTIVS *libr.* V. *ſegm.* 34. p. 288. illud vero CICERO *libr.* V. *de fin.* p. 143. memoriæ prodidiſſent. Ita GALENVS diuerſis locis multos libros, Hippocrati falſo adſignatos, recenſet: ita HARPOCRATION voc. Ἀξίοχος p. 47. et ex eo SVIDAS *tom.* I. p. 239. edit. KVSTERI tradunt, dialogum, Ἀξίοχος inſcriptum, non PLATONI; ſed AESCHINI *Socratico* vindicandum eſſe,

 et

ingeniorum germanos ab adulterinis ſeparare: deinde loca deprauata corrigere ac denique ſcriptores diiudicare deque eorum ætate, ſcribendi ratione, vitiis ac virtutibus ſententiam ſuam ferre ſolebant. Ac de tribus his veterum criticorum muneribus in præſenti dicere; reliqua vero, quæ de eorum officiis grammaticis dicenda ſunt, ad ſequens caput reſeruare, conſtitui.

II

et THEOPHRASTVS apud DIOGENEM LAERTIVM *libr.* VIIII. *ſegm.* 46. p. 574. nos monet, ne auctorem libri, *μέγας διάκοσμος* inſcripti, Democritum; ſed Leucippum eſſe, ſtatuamus. Dolendum ſane eſt, maximam partem veterum criticorum ſcholiorum et obſeruationum in auctores veteres interiiſſe. Veteres gloſſariorum ac lexicorum conditores HARPOCRATION, HESYCHIVS, SVIDAS aliique ex ilis magmam perceperunt vtilitatem, quumque in ſuis lexicis multa ex illis nobis ſuppeditant, luculenter cognoſci poteſt, quam bene antiqui critici de græcis potiſſimum ſcriptoribus meruerint. Legantur, quæ de hoc argumento PHIL. IACOB. MAVSSACVS *diſſ. crit. in Harpocrat.* p. 399. et ANTONIVS BLACKWALLVS *comm. de præſtant. auctor. claſſicor. cap.* X. §. I. p. 175. differunt. Non omnes tamen critici veteres laude digni ſunt. Multi enim, corrigendi libidine abrepti, antiquos ſcriptores magis corruperunt; quam ſanarunt, contra quos inprimis diſputauit HENR. STEPHANVS de *crit. vet. græc. et latin. eorumque variis apud poetas potiſſimum reprehenſionibus*, Pariſ. CIↃ IↃ LXXX. Alii ad ineptias abibant ſeque quæſtionibus nullius momenti delectabant, ad quorum claſſem Marcus Valerius Probus apud SVETONIVM *de illuſtr. grammat. cap.* XXIIII. p. 1089. referendus eſt.

II

IVRE quæritur, quibusnam auctoribus emendandis ac corrigendis veteres critici operam ſuam addixerint. Illi, qui apud romanos litterarum culturæ ſeſe dabant, duas perdiſcebant linguas, latinam videlicet ac græcam. Prima apud illos litterarum græcarum cura fuit, cui, vti nos latinæ, ſtudia ſua ita conſecrarunt, vt ſine illa neminem ad veræ eruditionis laudem peruenire poſſe, exiſtimarent. Dictis meis fidem facit non ſolum QVINCTILIANVS *k*), quando ita ſcribit: *a ſermone græco puerum incipere malo, quia latinus, qui pluribus in vſu eſt, vel nobis nolentibus, ſe perhibet, ſimul quia diſciplinis quoque græcis prius inſtituendus eſt, vnde et noſtræ fluxerunt*; ſed etiam PLINIVS *l*), qui litterarum græcarum cultoribus commendat, vt *ex græco in latinum et ex latino in græcum vertant*, quoniam, vt ipſe addit, *hoc genere exercitationis proprietas ſplendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimorum ſimilia inueniendi facultas paratur.* Ex ſequentibus CICERONIS *m*) ad patrem ſuum verbis itidem hoc abunde conſtat: *viſne igitur, vt tu me græce ſoles ordine interrogare; ſic ego te viciſſim eisdem de rebus latine interrogem.*

k) *libr.* I. *inſt. orator. cap.* I. p. 17. edit. BVRMANNI.

l) *libr.* VII. *epiſt.* 9. §. I. p. 375. edit. CELLARII.

m) *dial. de partit. orator. cap.* I. *tom.* I. *operum*, p. 197. edit. GRONOVII.

rogem. Exempla quoque veterum illuſtrium virorum hoc oſtendunt. PLINIVS *n)* Antonii græcarum litterarum ſcientiam ac ſcribendi facultatem non ſatis mirari poteſt. De Attico teſtatur CORNELIVS *Nepos o)*, eum ſic græce loquutum eſſe, *vt Athenis natus videretur.* De Auguſto confirmauit SVETONIVS, eius litterarum harum ſtudium haud leue fuiſſe, et de Claudio *p)* imperatore memoriæ prodidit, eum *amorem linguæ græcæ omni occaſione profeſſum eſſe;* Ciceronem *q)* vero *ad præturam vsque græce declamaſſe r).* Conferas: CHRIST. CELLARIVM

n) libr. IIII. *ep.* 3. p. 173.

o) vit. eius *cap.* IIII. §. I. p. 367. edit. KEVCHENII.

p) vit. eius *cap.* XXXXII. §. I. p. 718. edit. PITISCI.

q) de *clar. rhetor. cap.* I. p. 1092.

r) plerumque tamen magiſtratus, vbi in cauſſis forenſibus verſabatur, non græca; ſed patria vtebatur lingua, quod VALERIVS MAXIMVS *libr.* II. *cap.* 2. §. 2. p. 142. docet, ac moris huius cauſſam ita aperit: *magiſtratus priſci quantopere ſuam populique romani maieſtatem retinuentes, ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter cetera obtinenda grauitatis indicia illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, ne græcis quidem vnquam; niſi latine reſponſa darent.* Hinc et AVGVSTINVS *libr.* XVIIII. de *ciuit. dei*, *cap.* 7. *tom.* VII. *operum*, p. 418. edit. Bened. *opera data eſt*, inquit, *vt imperioſa ciuitas non ſolum iugum; verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponeret, per quam non deeſſet, immo et abundaret etiam interpretum copia.* Hinc et Conſtantinus imperator in ſynodo Nicæna apud epiſcopos græcos non græcam; ſed latinam adhibuit linguam, vt SOZOMENVS teſtatur:

LARIVM *s*), CONR. BVDDE *t*) et GEORG. NIC. KRIEGKIVM *u*). Vt cognitionem ſuam rite perficerent exornarentque, non ſolum præceptoribus ac magiſtris græcarum litterarum *x*); ſed et ſingularibus *obſeruatoribus y*) vtebantur, qui adſtabant ac obſer-uabant,

teſtatur: conf. IVL. CAES. BVLENGERVM de *imp. roman. libr.* IIII. *cap.* 15. et SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 505. Sic et Claudius imperator, referente SVETONIO, eius *vit. cap.* XVI. §. 5. p. 662. *ſplendidum virum, latini ſermonis ignarum, albo iudicum eraſit;* alium vero legatum Lyciorum ciuitatis priuauit iuribus, quum latine interrogatus, latine quoque haud reſpondere poſſet, vt memorat DIO *Caſſius libr.* LX. p. 676.

s) *diſſ. de ſtudiis roman. litterar. in vrbe et prouinc.* §. XII. p. 352. eius *diſſert. academ.*

t) de *ſtud. liberal. apud veteres* p. 27.

u) de *peregrinat. roman. academ.* p. 10.

x) vid. SVETONIVM *vit. Auguſt. cap.* LXXXIX. p. 347.

y) eiusmodi obſeruatores; ſiue formandæ vocis præceptores *phonaſci* adpellabantur. Illos ita deſcribit VARRO *apud Nonium Marcellum cap.* II. *de propriet. ſermon.* p. 585. *auctor. latin. lingu.* edit. GOTHOFREDI: *phonaſcus ſum, vocisque ſuſcitabulum, cantantiumque gallus gallinaceus.* Alii tamen pro *phonaſcus ſum* legunt: *fonicia ſunt.* Auguſtus imperator, teſte SVETONIO *vit.* eius, *cap.* LXXXIIII. §. 6. p. 340. *adſidue dabat phonaſco operam.* Horum præceptorum in hac inſcriptione fit mentio, quam PITISCVS ex GRVTERO p. LXXXVIIII. exhibet *lex. ant. rom. tom.* III. p. 77.

TI CLAVDIVS
QVI MACEDO
PHONASCVS

adde SIDONIVM *Apollinar. libr.* II. *epiſt.* I. *libr.* IIII. *epiſt.* II. TERTVLLIANVM de *pallio cap.* V. p. 138.

uabant, ne quid contra loquendi vſum diceretur. Inter græcos auctores, quorum lectioni ſeſe dabant, HOMERVS z), MENANDER, EVRIPIDES et SOPHOCLES principem obtinebant locum, cum quibus non ſolum hiſtoricos, vt THVCYDIDEM, POLYBIVM, HERODOTVM, XENOPHONTEM aliosque; ſed etiam philoſophos græcos coniungere ac inprimis grammaticorum et criticorum ſcholas omni ſtudio frequentare ſolebant. Ex eo facile intelligitur, quosnam auctores veteres emendauerint ac correxerint. In græcis videlicet ſcriptoribus explicandis et conſeruandis induſtria eorum maxima erat; inprimis vero in Homeri ſcriptis expoliendis omnes fere romani critici vires ſuas experiebantur. Inſtitutum quidem hoc per ſe ſatis laudabile erat, vbi inepti atque indocti critici, quorum magna turba omni tempore Romæ commorabatur, manum ſuam a poeta emendando ac corrigendo abſtinuiſſent. Per id enim factum eſt, vt carmina eius ſæpe magis dilacerarentur; quam ſanarentur. Haud tamen latini poetæ neglecti a criticis romanis

p. 138. QVINCTILIANVM *libr.* II. *inſtit. orat. cap.* 8. p. 159. et *libr.* XI. *cap.* 3. p. 1005. et ex recentioribus GER. IO. VOSSIVM *lexic. etymol.* voc. *phonaſcus*, p. 451. et THOM. BARTHOLINVM de *tib. libr.* II. *cap.* 14. p. 261. aliosque plures apud SAM. PITISCVM *loco indicato.*

z) conf. GISB. CVPERVM *apotheoſ. Homer.* p. 119. et LVDOLPH. KVSTERVM *hiſt. crit. Homeri*, p. 32. ſq.

nis ſunt, quod HENR. STEPHANVS *a*) multis demonſtrauit exemplis.

III

HIS expoſitis, ad ipſa criticorum, quibus perfuncti ſunt, munera percenſenda accedimus. Supra iam obſeruatum eſt, criticos in eo potiſſimum operam ſuam collocaſſe, vt adulterina ingeniorum monimenta a germanis rite ſepararent. Multa habemus veterum teſtimonia, ex quibus luculenter conſtat, non ſolum totos libros priſcis auctoribus eſſe adtributos; quos tamen aliorum exarauerat ingenium; ſed etiam fraudulentas manus legitimis veterum ſcriptis multa adglutinaſſe, quæ iis ſæpe plus dedecoris; quam honoris contrahere ſolebant. Ita PLVTARCHVS *b*) teſtatur, librum *περὶ εὐγενείας* ſub Ariſtotelis nomine vendi; quamuis de vero eius auctore nihil certi definiri poſſit. Democrito adtribuebatur liber, *μέγας διακοσμος* inſcriptus; quem tamen Leucippi ingenium eduxiſſe, THEOPHRASTVS apud DIOGENEM LAERTIVM *c*) perhibet. ATHENAEVS *d*) refert, Chamalæontis Pontici librum *περὶ ἡδονῆς* ſub Theophraſti circumferri nomine et ipſum Aeſchinem de fraude hac ſuſpectum fuiſſe, laudatus DIOGENES LAERTIVS *e*) haud

a) *libro* ſupra *laudato*.

b) *vit. Ariſtid. tom.* I. *oper*. p. 335.

c) de *vit. philoſoph. libr*. VIIII. *ſegm*. 46. p. 574.

d) *libr. dipnoſoph*. p. 254.

e) *libr*. II. *ſegm*. 61. p. 116.

haud obſcure ſignificat et, poſtquam enarrauerat, Menedemum Eretrienſem credidiſſe, Aeſchinem multis Socratis dialogis proprium ſuum inſcripſiſſe nomen, varia addit, ex quibus ſatis conſtat, non ſolum libros adulterinos veris admixtos; ſed etiam his partes integras ab aliis additas eſſe ipſosque criticos haud raro diuerſas de illis fouiſſe ſententias vnumque librum ſæpe pluribus auctoribus fuiſſe attributum *f*). Ita multis monimentis, quæ viliora compoſuerant ingenia, PLATONIS honorifico nomine ſumma conciliabatur auctoritas, vt DIOGENES LAERTIVS *g*) teſtis eſt, cui ea adiungenda ſunt, quæ de falſis librorum inſcriptionibus SVETONIVS *h*) memoriæ prodidit. QVINCTILIANVS *i*) idem his verbis ſignificat: *iudicio tam ſeuere vſi ſunt veteres grammatici, vt non verſus modo cenſoria quadam virgula notare et libros, qui falſo viderentur inſcripti, tamquam ſubdititios ſubmouere familia permiſerint ſibi; ſed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero*, quibus aperte profitetur, libros falſas et fictas præ ſe tuliſſe inſcriptiones; criticos vero, grauiſſimos fraudum

f) conf. ALLATIVS *dialog.* de *ſcript. Socrat.* p. 703. et 708. et interpretes DIOGENIS LAERTII ad *memorat. locum.*

g) *libr.* III. *ſegm.* 62.

p. 207.

h) *vit. Caeſ. cap.* LV. §. 6. p. 103.

i) *libr.* I. *inſtitut. orator. cap.* 4. p. 38.

dum harum vindices, eiusmodi ſubſtituta ingeniorum monimenta ex probæ notæ ſcriptorum numero eieciſſe. Aliud haud minus inſigne ſcriptoris huius effatum *k)* ſilentio transmitto et duo tantum GALENI teſtimonia in medium adfero, in quibus fraudis huius initia et cauſſæ enarrantur. Ea breuitatis cauſſa latine ſolum transſcribere liceat: *antequam reges, qui erant Alexandriæ et Pergami, de poſſeſſione veterum librorum ſtudioſe contenderent, nondum vllum falſo inſcribebatur opus; ſed, poſtquam præmium accipere cœpiſſent, qui antiqui alicuius hominis ſcripta iis adferebant, ſic demum multa falſo inſcribentes adportabant l)*; alio vero loco hæc memoriæ prodita legimus *m)*: *temporibus Attalicorum regum, qui de adquiſitione librorum inter ſe contendebant, cœpit fraus circa inſcriptiones et diſpoſitiones librorum fieri ab iis, qui, pecuniæ cauſſa, ferebant ad reges virorum illuſtrium ſcripta.* His ea addenda ſunt, quæ de ſe ipſo ac quodam adulterino libro, ipſi vindicato, his verbis refert *n)*: *in ſandaliario vico, vbi quamplurima Romæ ſunt bibliopolia, vidimus aliquando quosdam inter ſe diſceptantes, vtrum meus ſit ille liber, qui tunc proſtabat; an vero alterius: inſcriptum quippe erat nomen Galeni medici.*

 Quum

k) libr. 11. *inſtit. orator, cap.* 15.

l) comm. 1. *in Hippocrat. de natur. homin.* p. 127.

m) præfat. in comm. 11. p. 182.

n) περὶ τῶν ἰδίων βιβλ. p. 361.

Quum vero aliquis librum, tanquam a me ſcriptum, emeret, ob falſam inſcriptionem ira commotus aliquis philologus volebat ſcire, quaenam in libro ſint contenta. Sed, quum tres priores ſectiones perluſtraſſet, ſtatim abiecit librum, haec ſolum addens: ſtilum non eſſe Galeni et fictitiam eſſe libri inſcriptionem.

IIII

EA, quae teſtimoniis confirmaui, multis quoque egregiis exemplis illuſtrari poſſunt. Ex his luculenter patebit, veteres ſcriptores grauiſſimas habuiſſe rationes, de aduerſa fortuna et triſtibus fatis, quae antiquioris aeui auctores hac in re experti ſunt, conquerendi. Cuiuscunque enim recordari velis ſcriptoris vetuſti, ne vnicum fere excipere poteris, inter cuius ingenii monimenta haud irrepſerint falſa et adulterina. Quot carmina ſuppoſita Homero adſignata fuerint, abunde ex eorum recenſione apud LVD. KVSTERVM *o*) liquet. EVRIPIDI quinque epiſtolae, quae hodie quoque exſtant, falſo adtribuuntur, id quod ſatis contra IOS. BARNESIVM *p*), RICH. BENTLEIVS *q*) monſtrauit. Tragoediam, *σίσυφον σατυρικὸν* dictam, non Euripidi; ſed Critiae vindicat SEXTVS *Empiricus r*); *ſcholiaſtes*

o) *hiſt. crit. Homeri part.* II. *ſect.* 2. p. 62. ſq.

p) *vit. Euripid.* p. 27.

q) *diſſ.* ſingulari anglice edita, et Barneſio oppoſita.

r) *aduerſ. mathemath.* p. 318.

liaſtes vero *Ariſtophanis s*) monſtrat, *δσμα*; ſiue ἐγκώμιον in Alcibiadem *t*), non Euripidis; ſed alius ingenii fetum eſſe. Multa falſa hoc modo PYTHAGORAE fuiſſe adſignata, docent non ſolum DIOGENES LAERTIVS *u*); ſed etiam PLINIVS, cui inſigne IAMBLICHI effatum adiungendum eſt, qui conceptis adfirmat verbis, Pythagoricos ſuis ingenii ſpeciminibus magiſtri ſui nomen inſcripſiſſe, id quod etiam Lyſidis, Hippaſi, Philolai, Cleembori cet. ſcripta, vni Pythagoræ adtributa, ſatis confirmant, et nominatim ex iis, quæ de Aſtonis Crotoniatæ libris apud DIOGENEM LAERTIVM *x*) legimus, demonſtrari poteſt. Theſpidi pari modo tragœdias falſo tributas eſſe; non ſolum BENTLEIVS *y*) recte coniicit; ſed etiam luculenter ex eodem DIOGENE LAERTIO *z*) probatur, apud quem ARISTOXENVS *muſicus* perhibet, Heraclidem Ponticum tragœdias exaraſſe, easque ſub Theſpidis nomine in lucem edidiſſe. AESCHYLO a SVIDA nonaginta tribuuntur comœdiæ, ex quibus multas peregrinæ originis ſine dubio exſtitiſſe, alii ſatis obſeruarunt.

s) *ad ranas:* conf. VALESIVM *not. ad Ammian. Marcellin.* p. 21. et IOAN. ALB. FABRICIVM *bibl. græc. libr.* II. *cap.* 18. p. 655.

t) vid. PLVTARCHVM *vit. Alcibiad.* p. 196.

u) *libr.* VIII. *ſegm.* 7. p. 492.

x) *libr.* VIII. *ſegm.* 7. p. 492.

y) *diſſ. de epiſt. Phalarid.* p. 231.

z) *libr.* V. *ſegm.* 92. p. 314.

runt. Sub SOPHOCLIS nomine Spintharum; ſiue vt nonnulli volunt, Dionyſium Metathemenum tragœdiam *Parthenopæum* ſcripſiſſe, itidem DIOGENES LAERTIVS *a*) teſtis eſt; ATHENAEVS *b*) vero confirmat, Phiiippidi, vetuſto comico, falſo adtributam eſſe comœdiam, γάννιον adpellatam. Democrito vindicati ſunt varii de *magia*, de *elephantiacis*, de *arte ſacra*; ſiue *chemica* libri; quos tamen omnes ab alius ingenio exaratos eſſe, dudum critici obſeruarunt. Quam multæ orationes Lyſiæ præ ſe tulerint nomen, ex earum enarratione, a IO. ALB. FABRICIO *d*) ſuppeditata, abunde liquet, a quo etiam reliquorum auctorum, PLATONIS, DEMOSTHENIS, ARISTOTELIS, ISOCRATIS cet. ſcripta adulterina recitantur. Ex his ſatis comprobari poſſe, mihi perſuadeo, iam antiquis temporibus ordinem legitimorum ac germanorum librorum miſere diſturbatum *e*): magnum adulterino-

a) *libr.* V. *ſegm.* p. 315.

b) *libr.* XIII. *dipnoſoph.* p. 568.

d) *biblioth. græc. libr.* II. *cap.* 26. p. 898.

e) exemplo eſſe poſſunt, quæ de XXII. VIRGILII verſibus, *libr.* II. *Aeneid.* v. 567. ſq. et de *libro* X. *Iliados* HOMERI relata legimus. Illos critici Tucca et Varus ex codice Virgiliano, qui ipſis ab Auguſto ad emendandum datus fuerat, ob leues rationes proſcribere eorumque fidem aliis ſuſpectam reddere, ſibi ſumſerunt, qua de re HENR. STEPHANVS *de crit. vet. græc. et latin.* p. 49. legatur. Hunc; ſiue decimum librum Homeri itidem

terinorum numerum bonis admixtum ac imprudentes lectores haud raro in fraudem deductos eſſe. Conferantur: IOAN. WOWERIVS *f*), PHIL. IAC. MAVSSACVS *g*), IO. CLERICVS *h*), CHRIST. SCHOETTGENIVS *i*) et PETR. BVRMANNVS *k*).

V QVOD

dem ex toto Iliados corpore eximendum eſſe, exiſtimarunt et, quamuis haud dubitarent, eum a poeta originem ſuam trahere; crediderunt tamen, ad Iliadem iſtum non referendum eſſe. Leuiſſimas ipſis, cur ita ſtatuerent, fuiſſe cauſſas, ex EVSTATHIO *comm. ad Homeri Iliad. k.* p. 698 patet, cum quo interpretes Homeri p. 373. et 297. edit. BARNESII conferendi ſunt. Non inſolens enim eſt Homero, eadem fere verba, mutatis ſolum nominibus, in diuerſis locis vſurpare, quod luculenter patet, vbi *libr.* VIII. *v.* 222. ſq. cum eius *libr.* XI. *v.* 5. ſq. et *libr.* XXIIII. *v.* 672. cum initio *libr.* II. comparare velimus. Critici hi ſibi perſuaſerunt, Piſiſtratum, quem carmina Homeri in ordinem redegiſſe, veteres perhibent, librum hunc decimum, Iliados, reliquis rhapſodiis addidiſſe: conf. LEO ALLATIVS *de patria Homer. cap.* V. *tom.* X. *theſ. ant. græc. Gronouii*, p. 1756. IO. MEVRSIVS *Piſiſtrat. cap.* VIII. *tom.* V. eiusd. *theſaur.* p. 1397. GRONOVIVS *præfat. ad tom.* V. *memorati theſauri.*

f) *polymath. cap.* XVI. §. 6. p. 162.

g) *diſſ. crit. in Harpocrat.* p. 397.

h) *part.* III. *art. crit. ſect.* II. *cap.* I. *vol.* II. p. 303.

i) *diſſ. de librariis et bibliopol. antiquor.* §. XI. p. 16. ſq.

k) *not. ad Valeſ. de crit.* p. 147. Malum quoque hoc ac vitium, libros adulterinos germanis adnumerandi, latius ſerpens, in ciuitatem chriſtianam penetrauit, ipſique haud leue damnum contraxit, præſertim, quum eſſent, qui, vt errores ſuos conceptos defenderent iisque auctoritatem

V

QVOD ſi cauſſas cogitamus, quare priſcis ingeniorum monimentis tam multa falſa et peregrina addita ſint, obſeruandum eſt, illas admodum diuerſas exſtitiſſe. In hunc cenſum potiſſimum cadit: I. *fraus librariorum ac bibliopolarum*, quippe qui, quum obſeruarent, veterum ſcripta in magno eſſe pretio atque exiſtimatione, ſpe maioris lucri excitati, vilioribus ac recentioribus libris nomen celebris cuiusdam veteris auctoris inſcripſerunt ac per id ſæpe maximos quæſtus faciendi, occaſionem nacti ſunt. Ad librarios quod attinet, ii apud veteres cum bibliopolis nonnunquam confunduntur, quoniam hi ſæpe illorum munere fungi ac libros non ſolum deſcribere, ſed

tem ac pondus conciliarent, ſub ordinis ſacri patrum nomine ſcripta ſua in vulgus ſpargere atque in legentium animos falſas de variis religionis noſtræ capitibus opiniones infundere ſolebant. Multa rei huius ex doctoribus chriſtianis excitare poſſem exempla, qui valde hac de re conqueruntur, vbi id argumenti mei ratio permitteret. Qui plura deſiderat, adeat: ROBERTVM COCVM *cenſura quorumdam ſcriptorum, quæ ſub nominibus ſanctorum et veterum auctorum a pontificiis citari ſolent:* ANDR. RIVETVM *tom.* II. *operum,* p. 1068. BARTHOL. GERMONIVM *libr. de veter. hæretic. eccleſiaſticorum codicum corruptoribus:* IO. HENR. HOTTINGERVM *elencho; ſeu catalogo ſcript.* ſuppoſit. THOM. ITTIGIVM *heptad. diſſert.* p. 97. GVIL. CAVEVM *proleg. ad hiſtor. litteerar. ſcriptor. eccleſiaſtic.* p. 13. IOAN. CLERICVM *part.* III. *art. crit. ſect.* II. *cap.* I. §. 11. ſq. *vol.* II. p. 311. IO. ALB. FABRICIVM, *cod. apocryph. nou. teſtam.* aliosque plures.

ſed etiam iſtos venales exponere ſolebant; vbi vero rem adcurate conſideramus, *bibliopola* is, qui libros vendidit; *librarius* vero, qui eos deſcripſit, dicebatur *l*). Librarii igitur ſcribæ erant, quorum alii publici: alii priuati exſtiterunt. Illi legibus, decretis actisque publicis ſcribendis et in commentarios referendis operam dabant *m*);
hi

l) librarii vocantur quoque *ſcriptores librarii* apud HORATIVM de *art. poetic. v.* 354. p. 695. ed. BENTLEII et *ſcribæ librarii* apud GRVTERVM p. LXXXXIIII. *inſcript.* II. vbi hæc legimus verba: T. TETTIENVS FELIX. AVGVSTALIS. SCRIBA. LIBRAR. AEDIL. CVRVL. VIATOR. PLEBIS. ACCENSVS; a græcis vero *βιβλιογϱάφοι* dicti ſunt, id quod pluribus monſtrant: CASP. BARTHIVS *libr.* L. *aduerſ. cap.* I. p. 2324. ANDRAS CHRISTOPH. ESCHENBACHIVS *diſſ. de ſcrib. vet. rom.* §. III. p. 260. eius *diſſert. academ.* CHRIST. SCHOETTGENIVS *diſſert. de librariis et bibliopolis vet.* §. III. IO. NIC. FVNCCIVS de *ſcr. veter. cap.* VII. §. I. p. 234. Fuerunt eiusmodi librarii plurimam partem ſeruilis conditionis, vt ex CICERONE *libr.* IIII. *epiſtol.* 4. ad *Atticum* p. 889. et ex *leg.* XV. *digeſt. de vſufruct.* §. I. patet; ſæpe tamen liberti fiebant, vt itidem ex *libr.* VII. *digeſt.* de *oper. libert.* §. 5. liquet.

m) de eiusmodi ſcribis videantur: HVGO de *prim. ſcrib. orig. cap.* XXXII. p. 415. edit. TROTZII. FRANC. POLLETVS *hiſt. for. rom. libr.* V. *cap.* 12. p. 497. IAC. GVTHERIVS de *offic. dom. Aug. libr.* I. *cap.* 36. p. 225. et *libr.* II. *cap.* 13. p. 388. et 540. CAROL. SIGONIVS de *iudiciis libr.* I. *cap.* 7. *tom.* II. *theſaur. ant. rom. Græuii* p. 1695. CASP. BARTHIVS *libr.* L. *aduerſar. cap.* I. p. 2324. IVST. LIPSIVS *not. ad Tacit. annal. libr.* XIII. *cap.* 27. p. 206. edit.
Pariſ.

hi vero, vt ex CICERONE *n*) et PLINIO *o*) conſtat, dominorum ſuorum epiſtolas pariter ac integra volumina, ſi liberalibus artibus delectabantur, litteris conſignare debebant *p*). Ab eiusmodi librariis, qui, vbi in antiquis potiſſimum auctoribus deſcribendis verſabantur, *antiquariorum* nomen habuerunt, bibliopolæ cuiusuis generis libros litteris exarandos curarunt. Eorum alii

Pariſ. SAM. PETITVS *comm.* ad *leg. Attic.* p. 257. ANDR. CHRISTOPH. ESCHENBACHIVS *diſſ. de ſcribis vet. rom.* iam laudata. IO. NIC. FVNCCIVS de *ſcriptur. vet. cap.* VII. §. 3. p. 237. De librariis legionis THOM. REINESIVS ad *inſcr. claſſ.* VIII. *num.* 44. p. 528. et GISB. CVPERVS *monum. antiqu.* p. 231. videndi ſunt.

n) *libr.* V. *epiſt. 6. ad famil.* §. 1. et *libr.* VI. *epiſt.* 6. *ad Attic.*

o) *libr.* VII. *hiſt. natural. cap.* 25. p. 429.

p) inde ſemper apud dominos, et quaſi ad manum eorum eſſe debebant, vt ſtatim, quumprimum quid ſeſe offerebat, ad ſcribendum parati eſſent ac prompti. Vocantur hanc in rem apud GRVTERVM p. IↃLXXXIIII. *inſcr.* II. LIBRARII AD MANVM: IVCVNDVS DOMITIAE BIBVLI LIBRAR. AD MANVM. Omnes ſerui vrbani ad differentiam familiæ ruſticæ, *ſerui a manu* vocabantur; quoniam nimirum dominis *ad manum* quaſi erant: vide SVETONIVM *vit. Cæſar. cap.* LXXIIII. §. 3. p. 124. *vit. Neron. cap.* XXXXIIII. §. 2. p. 821. *vit. Tit. cap.* III. §. 3. p. 989. Inprimis vero ſcribæ hanc ob rem *amanuenſes* adpellabantur. Conf. AVSON. POEMAM *de op. ſeruor.* p. 72. CLAVD. SALMASIVM ad *Epictet.* p. 8. et 9. NIC. FVNCCIVM de *ſcript. vet. cap.* VII. p. 242. et SAM. PITISCVM *not. ad Suetom.* p. 124.

alii græcis; alii vero latinis codicibus conficiendis adhibebantur, quod ex CICERONIS filii ad Tironem, patris eius doctum libertum, litteris abunde conſtat *q*). Vtrique tam græci; quam latini librarii id inprimis curare debebant, vt codices adcurate et ſumma induſtria exararent: quæuis ſcribendi vitia euitarent et omnes ac ſingulas vocum litteras diſtincte exprimerent. Hanc ob rem nouum codicem cum priori exemplo; vel cum ipſius ſcriptoris *αὐτογράφῳ*, quod omnium pretioſiſſimum habebatur, eos contuliſſe atque comparationem inſtituiſſe, legimus. Teſtatur hoc SIDONIVS APOLLINARIS *r*), qui ad Ruricium ita ſcribit: *librum ipſe deportat heptateuchi*

q) *libr.* XVI. *epiſt.* 21. *ad famil.* Mentio quoque in antiquis monimentis mulierum facta eſt, quæ librariorum officio perfungerentur ac inde *librariarum* nomen ducerent. Teſtis eſt IVVENALIS *ſat.* VI. *v.* 475. vbi canit:

- - *periit libraria, ponunt*
Coſmetæ tunicas - - -

quamquam alii librariam hoc loco per *lanipendiam* explicant atque ſibi perſuadent, indicari hic ancillam, *quæ ſingula penſa libret et diſpertiat. Librariæ* in ſaxis litteratis nonnunquam commemorantur, vt ex LAVR. PIGNORIO de *ſeruis*, p. 229. RAPH. FABRETTO *inſcript.* p. 214. IAN. GRVTERO p. IↃ LXXXXIIII. *inſcript.* 3. aliisque patet.

r) *libr.* V. *epiſt.* 15. p. 186. adde QVINCTILIANVM *epiſt. ad Tryphonem bibliopolam,* eius *inſtitut. orat,* præfixam p. 3. edit. BVRMANNI, vbi ab ipſo petit, velit curare, vt eius *libri inſtitutionum orator.* in manus hominum quam emendatiſſime veniant.

ſcriptum velocitate ſumma, ſummo nitore, quamquam et a nobis relectum et retractum. Defert et volumen prophetarum, licet me abſente decurſum; ſua tamen cura manuque ſuperuacuis ſententiis eruderatum; nec ſemper illo contra legente, qui promiſerat operam ſuam. Idem et MARTIALIS *s*) confirmat, quando canit:

> *ſeptem, quos tibi mittimus, libellos,*
> *auctoris calamo ſui notatos,*
> *hæc illis pretium facit litura.*

Nec dici poteſt, in quanto pretio fuerint adcurate ſcripti libri *t*) et quam valde veteres curauerint, vt exempla, ſummo ſtudio elaborata, ſibi emerent. Teſtatur id hoc GELLII effatum *u*): *apud ſigillaria forte in libraria ego et Iulius Paullus poeta, vir memoria noſtra doctiſſimus, conſederamus, atque ibi expoſiti erant Fabii annales, bonæ atque ſinceræ vetuſtatis libri, quos venditor ſine mendis eſſe, contendebat. Grammaticus autem quispiam e nobilioribus ab emtore ad ſpectandos libros adhibitus, reperiſſe vnum in libro mendum dicebat. Sed contra librarius in quod-uis*

s) *libr.* VII. *epigr.* 17. *v.* 6. ſq.

t) vid. MARTIALEM *libr.* XIIII. *epigr.* 194. p. 783. A. GELLIVM *libr.* III. *noct. Attic. cap.* 17. p. 106. *libr.* II. *cap.* 3. p. 45. et *libr.* XVIII. *cap.* 5. p. 450. De pretiis librorum veterum, præter ceteros, *diſſerit* CHRIST. SCHOETTGENIVS de *librar. et bibliopol. antiquor.* §. X.

u) *libr.* V. *noct. Attic. cap.* 4. p. 135.

uis pignus vocabat, ſi in vna vſpiam littera delictum eſſet x). Ex quibus verbis ſingula-
G 2 ris

x) hunc locum vt rite intelligamus, obſeruandum eſt, ſigillaria locum fuiſſe celebrem, vbi res venales cuiusuis generis exponi ſolebant: vide SVETONIVM *vit. Claud. cap.* XVI. §. 9. vit. *Neronis cap.* XXVIII. A. GELLIVM *libr.* II. *noct. Attic. cap.* 3. p. 45. et adde IAC. CVIACIVM *libr.* II. *obſ.* 30. LAEV. TORRENTIVM *not. ad Sueton. vit. Claud. cap.* V. p. 463. FAM. NARDINVM *Rom. vet. libr.* IIII. *cap.* 10. *tom.* IIII. *theſ. ant. rom. Graeuii*, p. 1124. BORRICHIVM *ant. vrb. rom. fac. cap.* VIIII. §. 4. ibid. p. 1563. ANDR. TVRNEBVM *libr.* XXIII. *aduerſ. cap.* 28. p. 798. et SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 664. Habebat iſte nomen a ſigillis; ſiue paruis ſimulacris atque imagunculis, quæ ibi cum aliis rebus emi potuerunt: conf. GISB. CVPERVM, *Harpocrat.* p. 86. MARTIN. LIPENIVM *hiſtor. ſtrenar. cap.* III. *tom.* XII. *memorati theſ.* p. 501, GEORG. LONGVM de *annulis ſignatoriis antiquor.* p. 6. ſq. Ibi quoque libri venales exſtabant et quidem in ſingularibus tabernis, quarum MARTIALIS *libr.* I. *epigr.* 118. *v.* 10. p. 105. et HORATIVS *libr.* I. *ſerm. eclog.* 4. *v.* 71. p. 401. *de art. poet. v.* 372. p. 697. mentionem fecerunt. Adde A. GELLIVM *libr.* I. *noct. Attic. cap.* 3. p. 6. Ianuis; vel columnis harum tabernarum librorum inſcriptiones ac tituli adfigebantur, vt quisque ſcire poſſet, quinam libri in hac; vel illa taberna a bibliopola venderentur. In eiusmodi tabernis ſæpe conueniebant eruditi ac de expoſitis ibi libris: eorum auctoribus, virtutibus ac vitiis deque aliis rebus diſputare ſolebant, vt ex ſupra indicato GELLII loco ſuſpicari poſſumus. In iis quoque libros eruditorum prælectos eſſe, ex DIOGENE LAERTIO *libr.* VII. *ſegm.* 3. p. 367. conſtat. Bibliopolarum tabernæ non ſolum in variis Græciæ; ſed et præcipuis Latii-

ris veterum de comparandis ſibi optimis et adcurate exaratis codicibus cura patet ac ſimul

Latii vrbibus, et nominatim Romæ inueniebantur. Celebrantur enim, præter tabernas in ſigillariis poſitas, *tabernæ Argiletanæ: libraria Secundi, liberti Lucenſis*, vt MARTIALIS *libr.* I. *epigr.* 3. p. 30. teſtatur, *vicus Sandaliarius*, librariorum officinis clarus, aliaque loca, vbi libri vel a librariis; vel a bibliopolis vendi ſolebant. Quod in vico ſandaliario tabernæ librorum exſtiterint, docet GALENVS περὶ τῶν ἰδίων βιβλ. p. 361. his verbis: *in ſandalario vico, vbi quamplurima Romæ ſunt bibliopolia, vidimus aliquando quosdam inter ſe diſceptantes, vtrum meus ſit ille liber, qui tunc proſtabat; an vero alterius*, et GELLIVS quando *libr.* XVIII. *cap.* 4. ſcribit: *in ſandalario forte apud librarios fuimus.* Meminit quoque loci huius ſequens inſcriptio apud GRVTERVM p. I. XXVIIII. *inſcr.* 5.

SEX. FONTEIVS. ƆL. TROPHIMVS
CN. POMPEIVS CN. L. NICEPHOR
MAG. VICI
SANDALIARI. REG
IIII. ANNI. XVIII
D. D

adde ONVPHVR. PANVINIVM *deſcript. vrb. rom. tom.* III. *theſ. antiqu. rom. Græuii*, p. 288. Argiletum iuxta Theatri Marcellum ita poſitum fuit, vt in foro olitorio inciperet; in vico autem Tuſco deſineret, teſte SERVIO ad *libr.* VII. *Aeneid. Virgilii v.* 607. Quæ vbi obſeruantur, facile adparet, MARTIALEM *libr.* I. *epigr.* 118, *v.* 9. p. 104. duas tabernas librarias indicare, in quibus libri eius venales exſtarent: alteram in Argileto; alteram vero in foro Cæſaris. Quodſi enim verum eſt, Argiletum prope theatrum Marcelli collocatum fuiſſe, nullo pacto cum Cæſaris foro coniungi hic poteſt, quod a theatro

ſimul conſtat, eos grammaticis hanc in rem vſos eſſe, qui illos ante emtionem perlegerent ac librariorum menda notarent. Quum enim bibliopolæ haud raro fraudes facerent, libros adulterinos pro germanis: falſe et vitioſe ſcriptos pro adcuratis: nouos ac recentes codices, qui vilioris pretii erant, pro antiquis venderent; emtores vero per id defraudarent, iſti doctos ac eruditos grammaticos; ſiue potius criticos conſulebant eosque ſecum in bibliopolarum officinas ſumebant, vt in fraudes has inquirerent, librosque germanos ab adulterinis diſcernerent.

VI

QVAMVIS vero librariorum officium poſtulauerit, vt ſumma cura codices ſine omni ſcribendi vitio deſcriberent; partibus tamen ſuis hac in re minime eos ſatisfeciſſe, luculentis teſtimoniis comprobari poteſt. Tantum abeſt, vt ſingulas vocum

 litte-

theatro Marcelli longe remotum fuit: vid. FAM. NARDINVM *rom. vet. libr.* VII. *cap.* 4. *tom.* IIII. *theſ. ant. rom. Græuii* p. 1370. In hoc Argileto erant officinæ bibliopolarum, quod et, præter iam laudatum MARTIALIS locum, alius apud eumdem confirmat *libr.* I. *epigr.* I. *v.* I.

argiletanas mauis habitare tabernas,
quum tibi, parue liber, ſcrinia noſtra vacent.

Adde BARTHOL. MARLIANVM *topograph. vrb. rom. libr.* III. *cap.* 13. *tom.* III. *theſ. ant. rom. Græuii*, p. 118.

litteras diſtincte expreſſerint, vt ſæpe variis ſcribendi compendiis ac ſignis uſi ſint, quorum unicum ſæpe ſenſum totius vocabuli complectebatur. Characteres eiusmodi ab iis plerumque adhibebantur, qui velociſſime aliorum ſermones excipiebant *x*), quo facto ſcribis deinde negotium dari ſolebat, vt ſingulas vocum litteras eleganter exprimerent; loco vero ſignorum verba ipſa ponerent. Atque ab eiusmodi notarum ſignorumque vſu, librarios in deſcribendis codicibus minime abſtinuisſe, locuples teſtis eſt GALENVS *y*), ex quo abunde patet, auctores priſcos ſignis his maxime corruptos eſſe, quum alii iſta non intelligerent eaque diuerſo modo a librariis vſurpata eſſent. Præterea librariorum pars maxima in litterarum ſtudiis vix prima adtigerat fundamenta; quum vero hac ratione rudes; nec illis ſubſidiis, quæ eorum munus efflagitabat, inſtructi ad laborem hunc accederent, quid mirum, ſi noſtri codices, quos benignior nobis ſeruauit fortuna, et qui poſteriori æuo de his corruptis exemplis deſcribebantur, tam valde inter ſe diſcrepant et editiones veterum ſcriptorum, typis litterarum expreſſæ, ſub

x) vide præter ESCHENBACHIVM *diſſert.* de *veterum criticorum σημειωσι* p. 260. eius *diſſert. academic.* HERM. HVGONEM de prima *ſcribend. orig. cap.* IIII. et doctiſſimum C. H. TROTZIVM *not. ad eumdem*, p. 169. ſq.

y) de *propr. anim. cuiusque affect. dignot. et curat. cap.* VIIII. *tom.* VI. *oper.* p. 534.

ſub tanta *variantium lectionum* mole ingemiſcunt? præſertim, quum librarii antiquorum ſcribendi vitiis noua adderent: gloſſemata ab ipſis auctorum verbis minime diſtinguerent hacque ratione ex ſuis officinis miſere dilaceratos ac fœdatos auctores educerent. Multa in antiquis ingeniorum monimentis reperiuntur teſtimonia de hac librariorum negligentia. CICERO *z*) ad Quintum fratrem ſcribit: *de latinis vero, quo me vertam, neſcio, ita mendoſe et ſcribuntur; et veneunt;* MARTIALIS *a*) autem ita canit:

ſi qua videbuntur chartis tibi, lector, in iſtis
ſiue obſcura nimis; ſiue Latina parum
non meus eſt error, nocuit librarius illis
dum properat verſus adnumerare tibi.

STRABO *b*) pari modo de librariorum imperitia ac negligentia, quod exempla ſua cum priſcis codicibus non conferant, valde conqueritur ac, poſtquam memorauit, ob mendorum in Ariſtotelis libris multitudinem varia per coniecturam diuinare debuiſſe eruditos, addit: καὶ βιβλιοπῶλαί τινες γραφεῦσι φαύλοις χρώμενοι, καὶ ὐκ ἀντιβάλλοντες, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει τῶν εἰς πράσιν γραφομένων βιβλίων καὶ ἐντάδε, καὶ ἐν Αλεξαν-

z) *libr.* III. *epiſt.* 5. p. 1037.

a) *libr.* II. *epigr.* 8. p. 112.

b) *libr.* XIII. *geograph.* p. 907. edit. ALMELOVEENII.

Ἀλεξανδρεία, *et librorum venditores nonnulli ineptis vſi librariis; neque cum exemplari deſcripta comparantes, quod et aliis accidit libris, qui exſcribuntur vendendi cauſſa et Romæ; et Alexandriæ.* Huius corruptionis teſtis quoque eſt GELLIVS *c*) his verbis: *qui* ebrios *autem Catullum dixiſſe; putant; aut* ebrioſos, *in libros ſcilicet, de corruptis exemplaribus factos, inciderunt.* Sic et HARPOCRATION *d*), quum obſeruaſſet, DEMOSTHENEM in *oratione* de *claſſibus* ſcripſiſſe, Atticae cenſum octo millia talentorum fuiſſe, ſtatim culpam ad librarios transfert, qui pro *ſex millibus, octo millia* poſuerint, id quod apud iſtos, præſertim in numeris, per notas et litteras expreſſis, haud inſolens fuit, vt GALENVS *e*) diſerte docet. Vera igitur ſunt, quæ HIERONYMVS *f*) de librariis his pronuntiauit. *Scribunt*, inquit, *non quod inueniunt; ſed quod intelligunt et, dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos*, cui effato aliud haud minus inſigne ex SYMMACHO *g*) addendum eſt: *ſi te amor habet naturalis hiſtoriæ, quam Plinius laborauit, en tibi libellos, quorum præſentanea copia mibi fuit, in queis, vt opinor, opulentiæ eruditionis tuæ negligens veritatis librarius diſplicebit.* Sed

c) *libr.* VII. *noct. Attic. cap.* 20. p. 204.

d) *lexic.* voc. ὅτι ἑξακισχίλια p. 268. edit. BLANCARDI.

e) περὶ ἀντιδότων p. 156.

f) *epiſt.* LII. *ad Lucinium tom.* IIII. *oper.* p. 578. edit. MARTIANAEI.

g) *libr.* I. *epiſt.* 24. p. 41.

Sed mihi fraudi non erit emendationis incuria. Videndi ſunt de horum librariorum ſcribendi vitiis eorumque imperitia: IO. WOWERIVS *b*), CHRIST. SCHOETTGENIVS *i*), IO. NICOL. FVNCCIVS *k*) aliique *l*). Ii, qui probe cognoſcebant, quantum detrimentum tanta vitioſorum codicum multitudo poſteritati ſit adlatura, ad infringendam coercendamque prauam hanc librariorum conſuetudinem tam ſtrenue elaborarunt, vt et adiurationibus hanc in rem vterentur, ad quas ea referenda ſunt, quæ de Irenæo HIERONYMVS *m*) nobis memoriæ prodidit: *adiuro te, qui transſcribis librum iſtum, per dominum Ieſum Chriſtum et per glorioſum eius aduentum, quo iudicaturus eſt viuos et mortuos, vt conferas, poſtquam transſcripſeris, et emendes illum ad exemplar, vnde ſcripſiſti, diligentiſſime, hanc quoque obteſtationem fideliter transferas, vt inueniſti in exemplari n*).

 VII

b) de *polymath. cap.* XVIII. p. 188.

i) *diſſert. de librar. et bibliopol. antiquor.* §. IIII.

k) de *ſcript. vet. cap.* VII. §. 10. p. 250.

l) conf. FRANC. IVRETVS *not. ad Symmachum* p. 21. IVSTVS LIPSIVS *not. ad Senec. libr.* II. *de ira cap.* 26. p. 73. et IAC. PERIZONIVS *not. ad Aelian. hiſtor. animal. cap.* X. p. 417.

m) de *ſcriptor. eccleſ. cap.* XXXXV. adde EVSEBIVM *libr.* V. *hiſtor. eccleſ. cap.* 20. p. 187.

n) de eiusmodi imprecationibus, quas veteres, non ſolum chriſtianæ profeſſionis homines; ſed et paganæ

VII

INTER eiusmodi corruptiones, quibus veterum ſcripta contaminata ſunt, principem ſibi locum vindicant *falſæ inſcriptiones*, quas et librarii et bibliopolæ libris dare ac per has alios decipere ſolebant. Bibliopolæ enim, vt iam ſupra indicaui, auaritiæ plerumque dediti erant quumque ex libris vilioribus magnam pecuniæ vim ſibi comparare vellent, a librariis fictas inſcriptiones illis tribuendas eosque celeberrimorum ſcriptorum nominibus ornandos curabant. QVINCTILIANVS o) huius rei teſtis eſt, quando de criticis ſcribit: *iudicio tam ſeuere vſi ſunt veteres grammatici, vt non verſus modo cenſoria quadam virgula notare et libros, qui falſo viderentur inſcripti, tamquam ſubdititios ſubmouere familia permiſerint ſibi; ſed*

paganæ ſuperſtitioni addicti libris manu exaratis addere ſolebant, vide IOAN. ALB. FABRICIVM *bibl. græc. libr.* V, *cap.* I. p. 74. ſq. MICH. LILIENTHALIVM *ſelect. hiſtor. et litterar. obſ.* I. p. 2. ſq. CHR. AVG. HEVMANNVM *conſpect. litterar. reipubl. cap.* III. §. 17. p. 48. BERN. DE MONTFAVCON *palæogr. græc.* p. 58. ſq. IO. NICOL. FVNCCIVM et CHRIST. SCHOETTGENIVM *locis indicatis* 2. GOTTL. HENR. PIPPINGIVM *diſſert. de imprecationibus libris adſcriptis*, Lipſ. CIↃ IↃ CCXI. IO. CHRIST. WOLFIVM *cur. phil. et crit. ad apoc.* XXII, 18. vbi ſimilis imprecandi formula legitur et C. H. TROTZIVM *not. ad Hugon. de prima ſcribendi orig. cap.* XXVII. p. 237.

o) *libr.* I. *inſtit. orator. cap.* 4. p. 30.

ſed auctores alios in ordinem redegerint: alios omnino exemerint numero. Idem docet GALENVS *p)*, qui conceptis apertiſque verbis confirmat, ante tempora regum Alexandriæ hanc fraudem non in vſu fuiſſe; poſtea vero factum eſſe, vt multi libri falſi et a recentioribus ingeniis exarati veteribus ſupponerentur, corruptis videlicet inſcriptionibus, in quibus nomen vetuſti celebris cuiusdam ſcriptoris exhiberi ſolebat. Idem alio loco *q)* tradit laudatus ſcriptor ac ſimul obſeruat, occaſionem huius fraudis fuiſſe ſummum principum ac regum ſtudium librorum conquirendorum, quorum pretia quum eo maiora eſſent, quo antiquiores fuerunt eorum auctores, per id bibliopolæ excitati ſunt, recentiores libros veteribus ſubſtituere atque eorum inſcriptiones deprauare. Inſigne hac de re præbet quoque teſtimonium DIO *Chryſoſtomus r)*: πάντως γὰρ, inquit, τινι τῶν βιβλιοπώλων προσέσχηκας, διὰ τί δὴ τοῦτό με ἐρωτᾷς; ὅτι εἰδότες τὰ ἀρχαῖα τῶν βιβλίων σπουδαζόμενα ὡς ἄμεινον γεγραμμένα καὶ ἐν κρείττοσι βιβλίοις. οἱ δὲ τὰ φαυλότατα τῶν νῦν καθέντες εἰς σῖτον, ὅπως τότε χρῶμα ὅμοια γένηται τοῖς παλαιοῖς καὶ προσδιαφθείροντες ἀποδίδονται ὡς παλαιά, *omnino ergo alicui bibliopolæ adhæſiſti? quamobrem iſthuc tandem me interrogas? quia quum norint, anti-*

p) comm. I. *in Hippocr.* p. 128.
de natur. hom. p. 127. *r) orat.* XXII. *de pulcr.*
q) præfat. comm. II. p. 272.

antiquos libros expeti, vt melius ſcripta et in melioribus chartis, illi viliſſimas præſentium ſcriptorum demittentes in frumentum, vt colorem, veteribus ſimilem, contrahant, pariterque corrumpentes, vendunt pro antiquis. Nonne ex hoc, quod hic dedi, DIONIS *Chryſoſtomi* effato abunde patet, veteres librarios recentiorum ſcriptorum libros pro antiquis vendidiſſe? nonne vero ex his quoque ſatis cauſſa cognoſci poteſt, cur tam multi fetus adulterini veteribus ſcriptoribus adtributi fuerint *s*)?

VIII

OBSERVAVI, germanis antiquorum ingeniorum monimentis multa ſubſtituta eſſe falſa et adulterina. Memoraui quoque varias huius fraudis cauſſas, ac tradidi, in hunc cenſum potiſſimum cadere fallaciam librariorum ac bibliopolarum. Huic accedit: II. *nominum*, quibus veteres ſcriptores vſi ſunt, *ſimilitudo*. Ex DIOGENE LAERTIO

s) de librariis, quorum hic mentionem feci, plura ediſſerunt: LAVR. PIGNORIVS de *ſeruis* p. 228. TIT. POPMA de *oper. ſeruor.* p. 67. BERN. DE MONTFAVCON *palæogr. græc. libr.* I. *cap.* 5. p. 34. IO. CLERICVS *art. crit. vol.* II. p. 25. ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVS *diſſert. academic.* p. 257. CHR. SCHOETTGENIVS *diſſert. laudata de librariis et bibliopolis antiquor.* et IO. NIC. FVNCCIVS de *ſcript. vet. cap.* VII. p. 234. C. H. TROTZIVS *not. ad Hugonem de prima ſcrib. origine*, p. 468. ſq. et 533.

ERTIO, SVIDA, HARPOCRATIONE aliisque cognoſci poteſt, quam multi ſcriptores vnum idemque geſſerint nomen et quidem tales, qui ætate quoque inter ſe æquales fuere. Ex LAERTIO varia hic ſuppeditare poſſem exempla, quorum vnicum adducere ſufficiat *t*): γεγόνασι, inquit, Κράτητες δέκα. Πρῶτος, ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής. δεύτερος, ῥήτωρ Τραλλιανὸς, Ἰσοκράτειος. τρίτος, ταφρωρύχος Ἀλεξάνδρῳ συνών. τέταρτος ὁ κύων, περὶ ȣ̃ λέξομεν. πέμπτος φιλόσοφος περιπατητικός. ἕκτος ἀκαδημαϊκὸς, ὁ προειρημένος. ἕβδομος, Μαλώτης γραμματικός. ὄγδοος, γεωμετρικὰ γεγραφώς. ἔννατος, ἐπιγραμμάτων ποιητής. δέκατος, Ταρσεὺς, φιλόσοφος Ἀκαδημαϊκός, *decem fuerunt Cratetes. Primus, antiquæ comœdiæ poeta: ſecundus, orator Trallianus, de Iſocratis familia: tertius, cuniculorum effoſſor, qui cum Alexandro militauit: quartus, Cynicus, de quo poſtea dicemus: quintus, philoſophus peripateticus: ſextus academicus, quem prædiximus: ſeptimus, Malotes, grammaticus: octauus, qui geometrica ſcripſit: nonus, poeta epigrammatum: decimus Tarſenſis, academicus philoſophus.* Decem igitur celebres exſtitere Cratetes, qui ab ipſis veteribus facili negotio inter ſe confundi potuerunt. Quam multos eruditos recenſet SVIDAS, qui omnes ingenii laude floruerunt: varios libros in lucem ediderunt publicam ac vno vſi ſunt nomine? Legi inprimis merentur, quæ de plu-

t) *libr.* IIII. *ſegm.* 23. p. 241.

pluribus Harpocrationibus erudite commentatus eſt PHIL. IAC. MAVSSACVS *u*), ex quo luculenter patet, quantam confuſionem nominum priſcorum ſimilitudo pepererit et adhuc pariat. Id et multa veterum ſcriptorum teſtimonia abunde comprobant. Ita WOWERIVS *x*) oſtendit, magnam olim fuiſſe controuerſiam de Hippocratis ſcriptis et de multis nihil certe definiri potuiſſe, *propter auctorum ἐπωνυμίαν*. His ea adiungi poſſunt, quæ ex EVSEBIO, GALENO, AMMONIO aliisque idem vir doctus *y*) adfert, vbi adcurate oſtendit, veterum auctorum ſcripta, qui eadem geſſerint nomina, inter ſe maxime confuſa et ſæpe vni ſoli adſcripta eſſe. Præterea ſæpenumero fiebat, vt diuerſi auctores de vno argumento ingenii ederent ſpecimina, quemadmodum hoc Ariſtotelis potiſſimum diſcipuli in conſuetudine habuerunt, qui, vti in omnibus ad magiſtri ſui præcepta ſeſe accommodarunt; ſic in ſcribendo eum imitati eademque in libris ſuis non ſolum perſequuti ſunt, de quibus præceptor eorum iam commentatus fuerat; ſed etiam eius ingenii monimenta haud raro continuarunt. Proinde ſæpe contigit, vt vni ſcriptori plures de quodam argumento libri adtribuerentur, quorum ſæpe vix tertiam; aut quartam partem ipſe compoſuerat. AMMONIVS

u) *diſſ. crit.* in *Harpocr. lexic.* p. 373.

x) de *polymath.* p. 164.

y) *loco indicato.*

NIVS z) locuples huius rei teſtis eſt, quando *tres cauſſæ*, inquit, *Ariſtotelis libris dignoſcendis errorem fecere. Vna æquiuocatio auctorum. Fuere namque et Ariſtoteles alii, quorum ſcripta ob æquiuocationem nonnulli huiusce Ariſtotelis eſſe, exiſtimarunt: altera librorum æquiuocatio. Eudemus enim et Phanias ac Theophraſtus eius diſcipuli præceptoris exemplo prædicamenta et de interpretatione et reſolutoriam ſcripſere. Tertia huiusmodi eſt: Ptolemæum Philadelphum Ariſtotelis conquirendorum operum, perinde ac reliquorum, perſtudioſum fuiſſe, tradunt, pecuniasque iis perſoluiſſe, qui philoſophi ad ipſum libros adferrent, quo factum eſt, vt quidam lucri ſpe libros philoſophi nomine inſcribentes comportarent.* Quando igitur conſideramus, ex nominum, quibus veteres ſcriptores nonnunquam vſi ſunt, ſimilitudine magnam ortam eſſe confuſionem, librariosque plerumque in litterarum ſtudiis haud multum fuiſſe verſatos eosque ſæpe libris, quos deſcribendos curauerant, inſcriptiones, vbi illæ deerant, addidiſſe, facili negotio adſequi poſſumus, cur antiquis auctoribus multa adulterina vindicata ſint.

VIIII

HIS adiungenda eſt III. *fraus ipſorum ſcriptorum.* Sæpe eruditi libros ſuos aliis ſcriptoribus

z) *præf. in prædicament. Ariſtotelis*, p. 9. edit. Venet.

ptoribus de induſtria vindicarunt, non lucri ſpe, more librariorum; ſed, vt ſententiæ ſuæ, quam defendebant, ex celebris vetuſti auctoris conſenſu ac teſtimonio auctoritatem ac pondus conciliarent, quum contra ea eſſent, qui gloriæ cupidi, aliorum ſcriptorum libros ſibi adtribuerent, vt ex ATHENAEO *a*) ſatis conſtat. Denique commemoranda eſt: IIII. *inſcitia grammaticorum*, qui non ſemper omni plane culpa caruerunt, quando peregrini fetus nonnunquam ad germanorum numerum relati ſunt. Sæpe enim veri librorum auctores ignoti erant, de quibus coniecturam facere ſibi ſumebant; quæ vero ſæpe ita comparata erat, vt ne minimo quidem inniteretur fundamento. Alii diuinationibus miſeris horum grammaticorum, quum ſæpe nimia confidentia huic; vel illi auctori libros adſignarent, fidem habebant; per id vero factum eſt, vt multa priſcis ſcriptoribus adtribuerentur ingeniorum monimenta, quæ ab aliis in lucem fuerant emiſſa. Quemadmodum vero falſa germanis adnumerata ſunt; ſic quoque libri probæ notæ ad fetus adulterinos referebantur, cuius erroris variæ itidem exſtituerunt cauſſæ. Quum enim multi ſe a librariis deceptos ac libros recentioris ingenii pro antiquis venditos eſſe, animaduerterent, de quibuscunque vere

a) *libr.* IIII. *dipnoſoph. cap.* 4. p. 673.

vere auctorum priſcorum ſcriptis dubitare et per id multos immerito ſedibus ſuis expellere ac in viliorum claſſem reiicere, incipiebant. Haud parum contulit quoque diuerſitas ſtili, quæ in vnius auctoris libris paſſim obſeruatur. Quamquam ex ſcribendi ratione ſæpe ingeniorum monimenta diiudicari poſſunt; nimium tamen hac in re fecerunt nonnunquam veteres et librum germanum adulterinum eſſe, ſæpe pronuntiarunt, quamuis ab vno eodemque profectus fuerit ſcriptore et vix vlla ſtili differentia in iſto obſeruari potuerit.

X

SATIS iam monſtraui, quam ob cauſſam tam multa adulterina ſcripta priſcis auctoribus vindicata ſint: indicaui quoque mali huius cauſſas *b*) et fontes indagaui, ex quibus hæc confuſio emanauit: reſtat, vt diſtincte oſtendatur, quomodo in hac veterum ſcriptorum perturbatione ſeſe geſſerint critici ac quibus remediis ſaluti et incolumitati ſcriptorum antiquorum conſeruandæ ſubueniendum eſſe, arbitrati ſint. Princeps ſane criticorum officium in eo erat poſitum, vt libri falſi, qui pro germanis adhuc venditi fuerant et ſedem inter reliqua legitima antiquorum ſcriptorum ingenii monimenta ſibi vindicauerant, de loco ſuo dimouerentur et in viliorum claſſem transferrentur; ii vero, qui ab aliis immerito

H damna-

b) plures recenſet. C. M. TROTZIVS *loc. exc.* p. 50.

damnati erant, reuocarentur et pro germanis declararentur. Atque hanc prouinciam quoque criticos adminiſtraſſe, ex multis teſtimoniis comprobari poteſt. Apud ATHENAEVM c) varii verſus, a nonnullis HESIODO adſcripti, leguntur, de quibus Leonides ac Dionyſiocles inter ſe diſputant, et, quum ille dixiſſet: δοκεῖ ȣ̓͂ν ἐμοὶ, αὐτȣ͂ τȣ͂ Εὐθήμȣ εἶναι τὰ ποιήματα, *illud igitur poema Euthydemi eſſe, mihi videtur*, quum in eius *libro de ſalſamentis* illi verſus exſtarent, reſpondet hic; ſiue Dionyſiocles: ὅτȣ μὲν ἐϛὶ τὰ ποιήματα, ὦ ἀγαθὲ Λεωνίδη, ὑμῶν ἐϛὶ κρίνειν τῶν δοκιμωτάτων γραμματικῶν *cuius ſint diiudicare poemata, o bone Leonida! veſtrum eſt, qui eſtis probatisſimi grammatici*, hisque verbis criticis, quos *probatisſimos* vocat *grammaticos*, diſerte munus vindicat, auctores carminum, verine; an falſi ſint, quibus illa tribuuntur, diiudicandi. ATHENAEVS c) refert, criticos exiſtimaſſe, HESIODI poema de *nuptiis Ceycis* eſſe adulterinum carmen et ab alio exaratum, quamuis ipſe iudicium ſuum non interponat; verſus tamen ipſos, qui in hoc poemate legantur, vetuſtisſimos eſſe, iudicet: Ησίοδος ἐν κήϋκος γάμῳ, inquit, κἂν γὰρ γραμματικῶν παῖδες ἀποξενῶσι τȣ͂ ποιητȣ͂ τὰ ἔπη ταῦτα ἀλλ᾽ ἐμοὶ δοκεῖ ἀρχαῖα εἶναι, τρίποδας τὰς τραπέζας φησί, *Heſiodus in nuptiis Ceycis, quamuis enim grammaticorum ſoboles illius*

c) *dipnoſoph. libr.* III. *cap*. 30. p. 116.

c) *libr.* II. *dipnoſoph. cap.* 10. p. 49.

illius poetæ verſus hos eſſe, negent; meo tamen iudicio vetuſtiſſimi ſunt, menſas tripodas vocat, QVINCTILIANVS *d*) quoque diuerſis locis confirmat, veteres criticos auctores, qui ipſis adulterini viſi ſint, ex legitimorum numero exemiſſe; alios vero, qui iniuſte ad claſſem viliorum relati, ad germanos tranſtuliſſe. *Iudicio*, enim *ita ſeuere criticos vſos fuiſſe*, refert, *vt libros, qui falſo viderentur inſcripti, tamquam ſubdititios ſubmouere familia, permiſerint ſibi: auctores alios in ordinem redegerint: alios omnino exemerint numero*, quibus verbis memorat, a criticis auctores *in ordinem redactos eſſe*, id eſt: ſcriptores ſubſtitutos ex eo loco, quem adhuc inter bonæ notæ libros ſibi vindicauerant, expulſos et ad viliores abiectos eſſe, contra ea alios *exemiſſe numero*; ſiue alios, qui ad adulterinos immerito relati fuiſſent, reſtituiſſe in ſuum priſtinum locum eosque quaſi ex exilio, in quod ab imperitis et indoctis miſſi fuerant, reuocaſſe *e*). Nec ſolum in ferenda ſua de antiquiorum ſcriptorum libris ſententia adquieſcebant; ſed argumentis quoque demonſtrabant ac comprobabant, quapropter hic; vel ille liber recentioris ingenii ſit fe-

d) *libr.* 1. *inſt. orat.* p. 38. edit. BVRMANNI.

e) vid. BVRMANNVM aliosque QVINCTILIANI interpretes *not. ad locum indicatum* p. 38. 10. MEVRSIVM *exercit. crit. part.* II. *libr.* I. *cap.* 5. GISB. CVPERVM *libr.* I. *obſ.* 15. p. 107. BVRMANNVM iuniorem *not. ad Valeſium de crit.* p. 147.

tus: quam ob cauſſam hoc ſcriptum Ariſtoteli: illud Platoni, Heſiodo; aut Homero ſit adſcribendum: cur, exempli cauſſa, liber μέγας διάκοσμος non Democrito; ſed Leucippo ſit vindicandus: quare Ariſtoteles non auctor libri περὶ εὐγενείας et περὶ ἑρμηνείας ſit habendus; Aeſchines Socraticus autem dialogum *Axiochum*, non vero Plato litteris conſignauerit, et quæ huius generis ſunt reliqua. Ita Pericles in orationibus ſuis non loqui; ſed fulgurare ac tonare dicebatur; quum vero priſca ætate nonnulla circumferrentur, quæ eius nomen in inſcriptione præ ſe habebant, nullam autem et ne minimam quidem in dicendo et vim et grauitatem oſtendebant, ſtatim a criticis pro adulterinis ſcriptis ſunt habita, quod QVINCTILIANVS his verbis ſignificat *f*): *Cicero in Bruto negat, ante Periclem ſcriptum quidquam, quod ornatum oratorium habeat, eius aliqua ferri. Equidem non reperio quidquam tanta eloquentiæ fama dignum ideoque minus miror eſſe, qui nihil ab eo ſcriptum putent; hæc autem, quæ feruntur, ab aliis eſſe compoſita.* Alio loco *g*) refert, Ariſtophanem negaſſe, ὑποθήκας eſſe Heſiodi, et, vti per id comprobat, criticis munus diiudicandorum librorum, probine; an adulterini ſint, commiſſum eſſe, ita huic effato ea adiungenda ſunt, quæ de Apollonio ita memo-

f) *libr.* III. *inſtit. orat. cap.* I. p. 214

g) *libr.* I. *inſt. orat. cap.* I. p. 18.

memorat *b*): *Apollonius in ordinem, a grammaticis datum, non venit, quia Ariſtarchus atque Ariſtophanes, poetarum iudices, neminem ſui temporis in numerum redegerunt.*

XI

HOC criticorum officium haud obſcure quoque ſignificat GALENVS, quando refert, philologum; ſiue eum, qui præter critices ſcientias et aliis liberalium doctrinarum diſciplinis animum exornauerat, in bibliopolæ cuiusdam officinam ſeſe contuliſſe et ibi expoſitum Galeni librum pro ſubſtituto, qui nihil, niſi ſolum nomen huius medici præ ſe ferret, declaraſſe. His ea addi debent, quæ apud A. GELLIVM *i*) de Plauti comœdiis his verbis conſignata legimus: *præter illas vnam et viginti, quæ Varronianæ vocantur, quas idcirco a ceteris ſegregauit, quoniam dubioſæ non erant; ſed conſenſu omnium Plauti eſſe, cenſebantur; quasdam item alias probauit, adductus ſtilo atque facetia ſermonis, Plauto congruentis.* Eodem quoque loco ipſe GELLIVS critici induit perſonam ac varias comœdias Plautinas, quæ ab aliis ad adulterinas relatæ fuerant, defendit ac deinde ita pergit: *feruntur ſub Plauti nomine comœdiæ circiter centum atque triginta; ſed homo eruditisſimus L. Aelius quinque et viginti eſſe eius ſolas, exiſtimauit. Non tamen dubium eſt, quin iſtæ et quæ ſcriptæ a Plauto non videntur*

b) *libr.* X. *indicati libri cap.* I. p. 893.

i) *libr.* III. *noct. Attic. cap.* 3. p. 87.

tur et nomini eius addicuntur, veterum poetarum fuerint et ab eo retractæ atque expolitæ ſint. Quam varios adulterinos veterum ſcriptorum fetus DIOGENES LAERTIVS indicauerit et quam ſolide eos diiudicauerit, ſupra iam ex variis eius demonſtraui teſtimoniis. Ipſi, præter multos alios criticos, qui de remouendis ſubſtitutis libris optime meruerunt, DIONYSIVS *Halicarnaſſeus* adiungendus eſt, quod quilibet fatebitur, quicunque eius *περὶ τῶν ἀρχάιων ῥητόρων ὑπομνηματισμὸς* *k*) et ea præcipue, quæ in illis de Dinarcho tradit, perlegerit. Reliqua, quæ hic proferre poſſem, exempla ad aptiorem locum reſeruo. Vnicum hic adiungere ſufficiat teſtimonium, et quidem ſcriptoris chriſtiani, AVGVSTINI videlicet, qui de germanis Hippocratis libris, ex quibus falſi cognoſci poſſent, ita loquitur *l*): *hos autem libros, quibus illi, qui de transuerſo proferuntur, comparati reſpuuntur, vnde conſtat eſſe Hippocratis: vnde, ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur; ſed ridetur; niſi quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore, vsque ad hoc tempus et deinceps ſucceſſionis ſeries commendauit, vt hinc dubitare, dementis ſit. Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis aliorumque eiusmodi auctorum libros, vnde nouerunt homines, quod ipſorum ſint; niſi eadem tempo-*

k) *tom.* II. *operum* p. 116.

l) *libr.* XXXIII. *contra Fauſtum, cap.* 6. *tom.* VIII. *operum* p. 330. edit. Benedict.

temporum ſibimet ſuccedentium, conteſtatione continua; paullo ante vero dixerat *m*): *nonne, vt alios omittam ſub Hippocratis, medici nobilisſimi, nomine quidam libri prolati, in auctoritatem a medicis non recepti ſunt. Nec eos adiuuit nonnulla ſimilitudo rerum atque verborum, quando comparati eis, quos vere Hippocratis eſſe, conſtaret, impares iudicati ſunt, et quod eo tempore, quo et cetera ſcripta eius non innotuerunt, quod vere eius eſſent.* Quemadmodum vero critici in hoc inſtituto cenſu varios ſcriptores, qui in legitimorum claſſem irrepſerant, damnabant et ad viliorum locum transferebant; ſic quoque eos, qui immerito ipſis ad peregrinos coniecti eſſe, videbantur, recipiebant iisque amiſſa quaſi iura dignitatis atque auctoritatis conferebant. Docet hoc non ſolum QVINCTILIANVS, quando ſcribit: *criticos exemiſſe numero auctores*, id eſt, immerito damnatos reuocaſſe et germanis ſcriptis adnumeraſſe; ſed patet id quoque ex variis criticorum veterum exemplis. Ita AMMONIVS *n*) probat, librum de prædicamentis legitimum eſſe fetum, quem Ariſtotelis excluſerit ingenium, his verbis: *librum omnes Ariſtotelis legitimum eſſe, teſtantur, id quod et loquutio declarat, quodque in aliis commentationibus libri meminerit.* CICERO Seruium fratrem Pæti litteratisſimum, eo

 nomi-

m) ibid.

n) *præf. ad hunc librum* p. 14. edit. Venet.

nomine præſertim laudat, quod facultatem ſibi comparauerit, dicendi: *hic verſus Plauti non eſt, hic eſt, quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum et conſuetudine legendi* o). Alii critici probare ſibi ſumſerunt, Aeſchinis dialogos Socrati eſſe adſignandos: Plautum plures comœdias exaraſſe, quæ ſub aliorum circumferrentur nomine: non Dionyſium Metathemenum; ſed Spintharum eſſe auctorem *Parthenopæi*, et quæ huius generis ſunt alia. Quid plura? res ipſa et exempla, ſupra exhibita, quæ, criticos quoscunque libros veris auctoribus vindicaſſe, oſtendunt, ſatis et abunde comprobant, eos non ſolum in remouendis adulterinis; ſed etiam in conſeruandis ac confirmandis priſcorum ſcriptorum germanis libris occupatos fuiſſe.

XII

VT vero critici eo optatiorem in hac officii ſui parte ſucceſſum ſibi promittere poſſent, aliis ſimul perfungebantur negotiis, quibus librorum germanorum et adulterinorum confuſionem impediri ac per id effici poſſe, arbitrabantur, ne poſteritas in easdem induceretur fraudes, ipſique ſubſtituta ingeniorum monimenta pro legitimis transmitterentur. Proinde falſas librorum inſcriptiones delebant verumque eorum auctorem in illis indicabant. Compone-

o) *Libr.* IX. *epiſt.* 16. *ad famil.* p. 453.

ponebant *librorum indices*, in quibus ſingula cuiuscunque doctoris ſcripta adcurate enarrabantur: recenſebant ſingularibus commentationibus auctores, qui vel iisdem; vel ſimilibus nominibus vſi fuerant, vt per id ſcriptorum confuſio euitaretur et facili negotio vera a falſis, germana ab adulterinis diſcernerentur. Ad ipſas librorum inſcriptiones quod ſpectat, iſtas per ordinem ab ipſis auctoribus additas eſſe, varia confirmant teſtimonia; quoniam autem illæ ſæpe vel omiſſæ; vel immutatæ et corruptæ ſunt, negotium grammaticis potisſimum datum fuit, vt priſtinas et veras inſcriptiones reſtituerent; vel nouas facerent et in illis legitimum libri auctorem ſignificarent. Ipſos ſcriptores libris ſuis, in lucem emisſis, inſcriptionem quoque addidiſſe, ex hoc GELLII effato *p*) ſatis conſtat: *commentationes hasce inſcripſimus noctium Atticarum, nihil imitati feſtiuitates inſcriptionum, quas plerique alii vtriusque linguæ ſcriptores in id genus libris fecerunt. Nam quia variam et miſcellam et quaſi confuſaneam doctrinam conquiſierant; eo titulos quoque, ad eam ſententiam exquiſitisſimos, indiderunt. Namque alii muſarum inſcripſerunt: alii ſiluarum: ille* πέπλον: *hic* κέρας ἀμαλθείας: *alius* κήρια: *partim* Λειμῶνας: *quidam lectionis ſuæ: alius antiquarum lectionum atque alius* Ἀνθηρῶν cet. Quamuis

H 5

p) *præfat. ad eiusdem noctes Atticas* p.3. ed. GRONOVII

uis autem ex his et ſequentibus GELLII verbis abunde pateat, ipſos per ordinem ſcriptores libris ſuis inſcriptiones dediſſe; ſæpe tamen hoc ab aliis haud obſeruatum eſt, quemadmodum id præter alios, quos miſſos facio, SIMPLICIVS et PHOTIVS adfirmant, ille, quando ita ſcribit q): *hunc librum*, prædicamenta videlicet Ariſtotelis, *quidam inſcripſere antetopica; alii vero de generibus entis, alii de decem generibus: alii decem prædicamenta: alii prædicamenta;* hic vero r) de libro περὶ τοῦ παντὸς, quam IOSEPHO Iudæo adſignari, dixerat, εὗρον δὲ, inquit, ἐν παραγραφαῖς, ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ λόγος Ἰωσήπου, ἀλλὰ Γαΐου τινὸς πρεσβυτέρου, ἐν Ῥώμῃ διατρίβοντος, ὅν φασι συντάξαι καὶ τὸν Λαβύρινθον· οὗ καὶ διάλογος φέρεται πρὸς Πρόκλον τινὰ ὑπέρμαχον τῆς τῶν Μωντανιστῶν αἱρέσεως, *inueni vero in adnotatis, librum non eſſe Ioſephi; ſed Caii cuiusdam, presbyteri, qui Romæ agebat et quem aiunt conſcripſiſſe labyrinthum, cuius etiam exſtat dialogus aduerſus Proclum quemdam, hæreſis montaniſtarum defenſorem;* quibus verbis deinde addit: ἀνεπιγράφου δὲ καταλειφθέντος τοῦ λόγου, φασὶ τοὺς μὲν Ἰωσήπου ἐπιγράψαι, τοὺς δὲ Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος, ἄλλους δὲ Εἰρηναίου. Ὥσπερ καὶ τὸν Λαβύρινθόν τινες ἐπέγραψαν Ὠριγένους. Ἐπεὶ Γαΐου ἐστὶ πόνημα, τῇ ἀληθείᾳ αὐτοῦ συντεταχότος τὸν Λαβύρινθον. ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τέλει τοῦ Λαβυρίνθου ἑαυτοῦ εἶναι τὸν λόγον. εἰδ' ἕτερος καὶ οὐχ

q) *proëm. in prædic. Ariſtot.* p. 35.

r) *biblioth. cod.* XLVIII. p. 35.

οὐχ οὗτος ἐστιν, οὔπω μοὶ γέγονεν εὔδηλον, quum enim ſine titulo liber relictus eſſet, aiunt, alios Ioſephi nomen inſcripſiſſe: alios Iuſtini martyris; alios Irenæi, quemadmodum et labyrintho nomen Origenis præſcripſerant, quoniam Caïi eſt opus, qui reuera labyrinthum conſcripſit, quomodo etiam ille in fine labyrinthi teſtatus eſt, ſuum eſſe librum de natura vniuerſi. Verum hicne liber; an alterius, nondum mihi liquet. Atque ex his inſcriptionibus omisſis quanta confuſio ſit orta, vix dici poteſt. Quot librorum exempla exſtabant, tot fere diuerſæ eorum legebantur inſcriptiones. In nonnullis ſcriptorum nomen quum non additum eſſet, alii ex præpoſtero de iis bene merendi ſtudio, id ſub initium libri indicare, ſibi ſumebant; ſæpe autem mentiebantur et librorum auctores miſere confundebant, quemadmodum non ſolum ex ſupra addicto SIMPLICII loco; ſed etiam ex aliis, quæ apud PHOTIVM *s*) deprehenduntur, teſtimoniis abunde liquet. Critici ergo malo huic ſubueniebant: in veros librorum ſcriptores ſummo ſtudio inquirebant ac quodcumque ſcriptum legitimo eius auctori adſignabant.

XIII

NEC ſolum critici inſcriptiones codicibus dederunt; ſed exararunt quoque indices librorum, quos celebriores auctores iuris publici fecerant, ſibique perſuaſerunt, per id

s) *biblioth. cod.* CXIII. p. 290.

id confuſionem ſcriptorum feliciter impediri atque euitari poſſe. Indices ipſi duplicis erant generis. Nonnulli argumenta rerum, quæ in libris exponebantur, continebant, hæcque per ordinem ad initium, vel ad finem libri ſcribebantur. In aliis libri auctorum veterum germani et adulterini enarrabantur. Quum enim antiqui ſcriptores ſua ingenii monimenta, ſoluta oratione conſignata, plerumque ſine vlla in capita diſtinctione exararent, et in illis continua rerum ſententiarumque ſeries eſſet; vtiliſſimum fore, recte arbitrati ſunt critici, vbi colligerentur rerum ipſarum, ibi diſputatarum, argumenta, eaque in vno conſpectu exhiberentur, vt ſine mora lectores omnia facile inuenire poſſent. Vocabatur eiusmodi index σύλλαβος, ἀναγραφὴ, πίναξ, ἔκθεσις, ἔλεγχος, κατάλογος, et exarabatur partim ab ipſis ſcriptoribus: partim a librariis et bibliopolis. PLINIVS *t*), hiſtoriæ naturalis auctor, ita ſcribit: *quia occupationibus tuis publico bono parcendum erat, quid ſingulis contineatur libris, huic epiſtolæ ſubiunxi, ſummaque cura, ne perlegendos eos haberes, operam dedi. Tu per hoc et aliis præſtabis, ne perlegant; ſed vt quisque deſiderauerit aliquid, id tantum quærat et ſciat, quo loco inueniat;* CICERO *u*) vero: *etiam velim*

mihi

t) *præf. ad Veſpaſianum,* eius *hiſt. natural.* præmiſſa, p. 11.

u) *libr.* IV. *epiſt.* 4. *ad Attic.* p. 889.

mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtitur glutinatoribus, ad cetera adminiſtris, iisque imperes, vt ſumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos græci συλλάβυς adpellatis. Critici conficiendos hos indices vt plurimum grammaticis permittebant; ipſi vero potius alii horum indicum generi operam dabant, quo non argumenta rerum; ſed ipſi germani libri auctorum adcurate recenſebantur, ne poſtea a fraudulenta manu vel adulterina veris et legitimis ſubſtituerentur; vel germana in viliorum claſſem transferentur. Supra iam DIONYSII *Halicarnaſſei* teſtimonium adduxi, qui pro eximia, quam ſibi in critices arte comparauit, ſcientia, ſumma cura rhethorum antiquorum ſcripta recenſuit hæcque ab adulterinis et quæ dubiæ fidei erant, ſeparauit. Idem adfirmat de Adraſto SIMPLICIVS *x*), quando eius *libri de ordine librorum Ariſtotelis* mentionem facit. *Verum Adraſtus*, inquit, *narrat eo in loco, vbi de ordine librorum Ariſtotelis diſſerit, quod circumferatur et alius liber prædicamentorum, qui tamquam Ariſtotelis fuiſſe, videtur*. Adraſtus enim, vt ex hoc SIMPLICII effato adparet, ſingula Ariſtotelis ſcripta ita percenſuerat, vt germana ab adulterinis certaque a dubiis ſedulo ſeparauerit omniaque ſua, quæ de eius ingenii monimentis tulit, iudicia argumentis comprobauerit, id quod critici

x) *proem.* in *categor. Ariſtot.* p. 4.

critici ſemper obſeruare debebant, vbi libri cuiusdam auctoritatem vel adfirmare; vel negare voluerunt.

XIV

INDICES librorum Ariſtotelis edidiſſe quoque Andronicum Rhodium, teſtis eſt PLVTARCHVS *y*), his verbis: *λέγεται, παρ᾽ αὐτοῦ*, videlicet Tyrannione, *τὸν Ῥόδιον Ἀνδρόνικον εὐπορήσαντα τῶν ἀντιγράφων εἰς μέσον θεῖναι, καὶ ἀναγράψαι τοὺς νῦν φερομένους πίνακας, ferunt, ab eo Andronicum Rhodium accepiſſe exemplaria eaque in lucem edidiſſe, et vulgaſſe bos, qui nunc manibus teruntur, indices.* Ipſius PLVTARCHI *Chæronenſis* ſcriptorum enarrationem filius eius LAMPRIAS edidit, quod non ſolum ex his SVIDAE *z*) verbis patet: *Λαμπρίας, Πλουτάρχου τοῦ Χαιρωνέως υἱός. ἔγραψε πίνακα, ὧν ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἔγραψε περὶ πάσης Ἑλληνικῆς καὶ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας, Lamprias, Plutarcbi Chæronenſis filius. Contexuit indicem omnium operum, quæ pater ipſius de græca et romana biſtoria ſcripſit*; ſed etiam ex ipſa huius LAMPRIAE *epiſtola*, quæ vna cum ipſo indice, quantum de iſto benignior nobis ſeruauit fortuna, PLVTARCHI *operibus a*) præmiſſa eſt. Simile argumen-

y) *vit. Sullæ, tom.* I. *oper.* p. 468.

z) *lex.* voc. *Λαμπρίας*, *tom.* II. p. 414. edit. KVSTERI.

a) quæ Francofurti MDCXX. duobus tom. forma prima edita ſunt: adde IO. ALB. FABRICIVM *libr.* IV. *biblioth. græc. cap.* II. p. 333.

mentum Artemonem Caſſandreum perſequutum eſſe, ex ATHENAEO *b*) patet, qui ita ſcribit: Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ περὶ συναγωγῆς βιβλίων, *Artemon Caſſandreus ait in libro de librorum collectione.* DEMETRII MAGNESII librum περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων non ſolum DIOGENES LAERTIVS; ſed etiam PLVTARCHVS, DIONYSIVS *Halicarnaſſeus*, ATHENAEVS, HARPOCRATION *c*) aliique mentionem fecerunt; quemadmodum vero ipſa inſcriptio operis huius docet, diſputatum in illo eſt de ſcriptoribus eorumque libris, ita, vt cuicunque auctori propria eius ſcripta adſignata ipſique auctores, qui ſimilibus vſi ſunt nominibus, inter ſe adcurate diſtincti fuerint. Sic et VARRO, quemadmodum ex GELLIO *d*) colligitur, de comœdiis Plautinis ſcripſit, quo libro ſine dubio poetæ huius carmina: vtrum omnia germana ſint, quæ ſub eius nomine vendantur: an vero minus, examinauit ac de ſingulis comœdiis deque earum fide ſententiam ſuam dixit. Ex eodem ſcriptore *e*) quoque liquet, plures olim fabularum Plautinarum recenſiones exſtitiſſe, inter quas præcipue Aelii Sedigiti,

b) *libr.* XII. *dipnoſoph.* *cap.* 2. p. 515. conf. AEGID. MENAGIVM *not. ad Laert.* p. 157.

c) *lex.* vocibus Ισαῖος p. 200. et Μεθώνη p. 240. vid. FABRICIVM *biblioth. græc. libr.* V. *cap.* 7. p. 56.

d) *libr.* III. *noct. Att. cap.* 3. p. 86.

e) *loco indicato.*

giti, Claudii, Aurelii, Accii Maniliique laudantur. Eo maiori vero cura Plauti carmina, quæ ad poſteritatem delata fuerant; probari debebant, quo plures comœdiæ huic ſcriptori falſo ſolebant adſignari. Præſertim memorandus hic eſt CALLIMACHI *πίναξ παντοδαπῶν συγγραμμάτων*, quo opere non ſolum de veris librorum inſcriptionibus; ſed etiam de ipſis ingeniorum monimentis tam veris; quam falſis deque eorum auctoribus aliisque ad artem criticam ſpectantibus rebus pronuntiauit. ATHENAEVS libri huius variis locis mentionem facit, ex quibus vnicum *f*) tantum hic transſcribere liceat: *ἀνέγραψε δ' αὐτὸν Καλλίμαχος ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων καὶ ἀρχὴν αὐτοῦ τήνδε παρέθετο. Ὁ δὲ ὁ νόμος ἴσος ἐγράφη καὶ ὅμοιος, στίχων τριακοσίων εἰκοσιτριῶν*, *Callimachus in legum tabula tertia eam deſcripſit et illius tale principium adponit: lex iſta ſcripta eſt æqualis et ſimilis: continet verſus* CCCXXIII. ex quo loco abunde quoque ipſa ratio horum indicum cognoſci poteſt. Indicabantur enim in illis non ſolum nomina auctorum; ſed etiam ipſæ librorum inſcriptiones; præterea vero deſcribebantur in illis verba, quibus libri ipſi incipiebant, et, ſi poetarum carmi-

f) *libr.* XIII. *cap.* 10. p. 585. adde IO. IONSIVM *de ſcript. hiſt. philoſ. libr.* II. *cap.* 5. p. 159. et IO. ALB. FABRICIVM *biblioth. græc. libr.* III. *cap.* 19. p. 487.

carmina recitabantur, deſignari quoque ſolebat numerus verſuum, prudenti et vtiliſſimo ſane inſtituto, quoniam per id impediri potuit, quo minus a fraudulentis manibus verſus adulterini adderentur germanorumque ordo ac ſeries diſturbaretur. His aliud SVETONII *g*) egregium de criticorum indicibus adiungi poteſt teſtimonium, vbi de Aurelio Opilio memorat, eius *cognomen in plerisque indicibus et titulis per vnam litteram ſcribi.* Omitto varia, quæ hic proferre poſſem, teſtimonia GALENI, DIOGENIS LAERTII, HIERONYMI, EVSEBII aliorumque, quum ſupra recitata abunde comprobant, quæ de criticorum indicibus memorata ſunt. Id vnicum addere liceat, eiusmodi indices apud antiquos in maxima dignitate poſitos fuiſſe, adeo, vt ex iis ſcripta veterum diiudicauerint, omniaque pro adulterinis habuerint, quæ in iis ad germanorum claſſem haud relata fuerant. Conf. ISAAC. CASAVBONVM *h*), IO. WOWERIVM *i*), IO. CLERICVM *k*), PETR. BVRMANNVM *l*) alioſque. Sæpe etiam ſcriptores, ne in poſterum ipſis adulterinum quid vindicaretur, indices librorum, a ſe edito-

 rum,

g) de *illuſtr. grammat.* p. 167.

h) *not. ad Athenæum libr.* VI. *cap.* 10. p. 428.

i) de *polymath. cap.* XVI. *cap.* VI. §. 3. p. 1070.

k) *art. crit. part.* III. *ſect.* 2. *cap.* 1. ſq. p. 303. ſq.

l) *not. ad Valeſium de crit.* p. 147.

rum, in lucem emittebant, vt ex DIODORO *Siculo* 10. CLERICVS *m*) probat.

XV

SVPRA obſeruaui, criticos variis modis confuſionem librorum germanorum et adulterinorum impedire voluiſſe, eosque hanc ob cauſſam non ſolum indices, quibus probæ notæ ſcripta a ſubſtitutis ſeparata ſunt, litteris conſignaſſe; ſed etiam eos ſingularibus commentationibus de ſcriptoribus ὁμωνύμοις, vti vocabantur, expoſuiſſe. Ac de his, vt quædam dicantur, inſtituti noſtri ratio poſtulare videtur. Ad hanc librorum claſſem pertinet inprimis DEMETRII MAGNESII περὶ ὁμωνύμων καὶ συγγραφέων ſcriptum, cuius iam ſupra mentionem feci. In iſto de oratoribus, rhetoribus ac poetis Demetrium diſſeruiſſe, ex eo patet, quod HARPOCRATION *n*) librum hunc περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν inſcriptum eſſe, confirmat; DIONYSIVS vero *Halicarnaſſeus* *o*) ad eumdem prouocat ac in illo περὶ τῶν ὁμωνύμων ῥητόρων Demetrium Magneſium egiſſe, teſtatur. Quamquam vero ille περὶ τῶν ποιητῶν, ab hoc περὶ τῶν ῥητόρων libro plane diuerſus eſſe potuit; probabilius tamen eſt, Demetrium rhetores pariter ac poetas, vti CALLIMACHVS in ſuo πινακὶ fecit, vno volumine complexum fuiſſe. In eum-

m) *art. crit. vol.* II. p. 338.

n) *lex.* voc. Ἰσαῖος. p. 200.

o) *loco* ſupra *indicato*.

eiumdem cenſum cadunt DIONYSII *Sinopenſis*, SIMARESTI ac DEMOCRITI libri, de eodem argumento conſcripti, et ab antiquis ſcriptoribus laudati. DIONYSII meminit *ſcholiaſtes* DEMOSTHENIS; de DEMOCRITO autem ſic ſcribit DIOGENES LAERTIVS *p*): δοκεῖ δὲ, φησὶν ὁ Θράσυλλος, ζηλωτὴς γεγονέναι, καὶ τῶν πυθαγορικῶν. ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ Πυθαγόρου μέμνηται, θαυμάζων αὐτὸν ἐν τῷ ὁμωνύμῳ συγγράμματι, *videtur autem, vt ait Thraſyllus, et Pythagoricorum fuiſſe imitator. Ipſius enim Pythagoræ meminit, illum ſingulari admiratione proſequutus in æquiuoco opere.* Idem ſcriptor ſæpe quoque DEMETRII *Magneſii*, modo memorati, teſtimonio vtitur, atque ad eius περὶ ὁμωνύμων librum, tamquam ad teſtem fide dignum, prouocat. Sic refert, Demetrium hunc in indicato libro quinque commemoraſſe, qui Thaletis vſi fuerint nomine *q*): teſte eodem ſcriptore duos Pittacos exſtitiſſe *r*): Epimenidis ad Solonem epiſtolam ob dictionem eius pro ſuppoſita putandam eſſe *s*): Ariſtotelem Hermiæ, Atarnenſium tyranni, adfinem fuiſſe *t*): Heraclidem patriam a tyrannide imperantium liberaſſe *u*): Diogenem et Alexandrum vno die e vita exceſſiſſe *x*): Mnaſeum, Zenonis patrem, filio

I 2 ſuo

p) *de vit. philoſ. libr.* VIII. *ſegm.* 38. p. 570.

q) *libr.* I. *ſegm.* 38. p. 23.

r) *libr.* I. *ſegm.* 79. p. 49.

s) *lipr.* I. *ſegm.* 112. p. 72.

t) *libr.* V. *ſegm.* 3. p. 270.

u) *libr.* V. *ſegm.* 89. p. 314.

x) *libr.* VI. *ſegm.* 79. p. 351.

ſuo Socraticos libros emiſſe *y*) et quæ alia huius ſunt genera *z*). Hæc eum ad finem recitaui, vt vera librorum horum criticorum ratio pateat. Ex iis enim ſatis conſtat, in eiusmodi ſcriptis non ſola auctorum nomina eorumque ingeniorum monimenta recitata; ſed etiam eorum facta, res geſtas aliaque memoratu digna tradita fuiſſe.

XVI

QVVM critici veteres de auctoribus librorum tam germanorum; quam adulterinorum ſententiam ſuam ferrent, tantum abeſt, vt quouis coeco atque inconſulto impetu alios fetus pro legitimis; alios pro ſubſtitutis putauerint, vt certis regulis ac legibus vſi ſint, ſecundum quas omnia metiri ac iudicare falſaque a veris ſcriptis diſtinguere ſolebant. Rationem habuerunt ſtili auctorum veterum atque ex eius forma ac conditione libros, quorum origo dubia erat; aut, qui falſas præ ſe ferebant inſcriptiones, diiudicaruut. A. GELLIVS *a*) refert, Varronem varias comœdias Plauto adſignaſſe, *adductum ſtilo et ſermonis facetia.* Apud GALENVM quidam traditum ipſi librum, GALENI nomine inſcriptum, ab hoc auctore exaratum eſſe, negat, *hæc ſolum addens*,

y) *libr.* VII. *ſegm.* 31. p. 384. et 36. p. 556. 565. et 569.

z) adde eumdem *libr.* VIII. *ſegm.* 84. et 85. p. 543. *libr.* VIIII. *ſegm.* 15. 27. 35.

a) *libr.* III. *noct. Attic.* *cap.* 3. p. 86.

dens, *ſtilum non eſſe Galeni et fictitiam eſſe libri inſcriptionem b*). Idem auctor ad ſcribendi rationem, Hippocratis propriam, animum aduertit, quando comprobauit, partem quamdam libri de natura hominis HIPPOCRATI falſo tributam eſſe, his verbis *c*): *iuniorem eum fuiſſe, qui hæc addidit, certo oſtendit adpellatio σύνοχος; neque enim vmquam Hippocrates; vel ex antiquis alius febrim continuam vocauit σύνοχον, vt nec οὐρήματα vrinas; ſed hæc ſunt nomina recentiorum medicorum, qui antiquam linguam ignorarunt.* Eodem modo et SIMPLICIVS *d*) *prædicamenta* Ariſtotelem compoſuiſſe, oſtendit, quando ſcribit: *quod is liber ſit germanus peculiarisque philoſopho, vel maxime indicatio eſt ſententiarum eius obſcuritas, difficultas atque inuoluta eius loquutio*, cum quibus verbis conueniunt, quæ de eodem Ariſtotelis libro AMMONIVS *e*) iudicat: *librum omnes Ariſtotelis legitimum eſſe, teſtantur, id quod et loquutio declarat.* Inprimis huc memorari debet LIBANII iudicium de *Demoſthenis oratione de Haloneſo f*) ex quo abunde patet, ex ſcribendi modo ac dicendi formulis diuinare voluiſſe criticos, num germana ſint ſcripta auctorum; an adulterina.

 Neque

b) *tract. de libr. ſuis*, p. 361.
c) *comm.* II. *tom.* III. *operum* p. 149.
d) *proem. in prædicam. Ariſtot.* p. 4.
e) *præfat. in categor. Ariſtot.* p. 4.
f) p. 29. *operum Demoſthenis.*

Neque vero, inquit, *oratio mihi videtur eſſe Demoſthenis, idque tum ex genere dictionis, tum ex compoſitionis concentu poteſt animaduerti, quæ a forma Demoſthenis longe recedunt; quum et remiſſæ ſint et diſſolutæ omnino, quod ab oratoris noſtri dicendi genere abhorret.* Facultatem hanc, diuerſa ſcribendi genera rite diſcernendi, comparabant ſibi Romanorum critici ex adſidua veterum ſcriptorum lectione, quod ex ſupra adducto CICERONIS *g*) loco abunde colligitur, vbi Seruius, Pæti frater, *tritas habere aures* dicitur *notandis generibus poetarum et conſuetudine legendi h*). Præterea ex ſupra indicatis SIMPLICII pariter ac AMMONII verbis, iisque, quæ ibi ſequuntur, colligi quoque poteſt, criticos in iudicandis veterum ſcriptis animum quoque aduertiſſe ad ipſam docendi remque tractandi rationem, quam, vti quilibet fere auctor propriam et ſingularem ſibi fingit; ita ex eo facile cognoſci poteſt, vtrum fetus ingenii, de cuius auctore diſputatur, ab hoc; an ab alio ingenio excluſus ſit. Docet id etiam hoc GALENI *i*) effatum: *Hippocratis eſſe librum de natura hominis, nec Plato ipſe ignorat. Eius vero inconſultos nugatores conſiderare oportebat, quo in libro Hippocratis methodus, quam Plato*

g) *libr.* VIIII. *ep. ſt.* 16. ad *famil.*

h. conf. FRID. RAPPOLTVM *comm. in Horat.* p. 21.

i) *proem. comm.* I. *in Hippocrat. de natura hominis tom.* III. *operum* p. 95.

Plato commendat, perſcripta ſit, quæ non in alio, quam hoc commentario tradita eſſe videtur.

XVII

VSI quoque ſunt critici, præter ea, quæ iam memoraui, aliis documentis, ex quibus adulterina ſcripta cognoſcere: hæc a germanis ſeparare, et quoscumque fetus legitimis auctoribus adſcribere ſolebant. Obſeruarunt quippe, præter ſcribendi rationem, ſingulorum auctorum propriam, etiam conuenientiam dogmatum, et, vbi hanc non deprehendebant, argumentum ex eo ſumſerunt probandi, hunc vel illum librum ab eo auctore, cui adhuc tributus ſit, non originem ſuam habuiſſe. Contra ea ex conſenſu rerum, ſententiarum, ac iudiciorum, quæ in diuerſis libris lata legebantur, colligi poſſe, arbitrati ſunt, vtrumque librum vnius ſcriptoris ingenii monimentum eſſe. QVINCTILIANVS *k*) de Hermagoræ libris ita loquitur: *ſunt tamen inſcripti nomine Hermagoræ libri, qui confirmant illam opinionem; ſiue falſus eſt titulus; ſiue alius hic Hermagoras fuit. Nam eiusdem eſſe quomodo poſſunt, qui de hac arte mirabiliter multa compoſuit, quum, ſicut ex Ciceronis rhetorico primo manifeſtum eſt, materiam rhetorices in cauſſas et theſes diuiſerit.* Ad id ſpectant quoque ſequentia GELLII *l*) verba,

 quibus

k) *libr.* III. *inſtit. orat. cap.* 5.

l.) *libr.* III. *noct. Attic. cap.* 3. p. 86.

quibus ex ſtilo non ſolum; ſed etiam ex toto argumento vſurpatoque explicandi modo probare voluit, comœdiam *Boeotiam* PLAVTO eſſe vindicandam. *Nam, quum in illis*, ait, *vna et viginti non ſit*, hæc videlicet comœdia, *et eſſe Aquilii dicatur; nihil tamen Varro dubitauit, quin Plauti foret, neque alius quisquam non infrequens Plauti lector dubitauerit; ſi vel hos ſolos verſus ex ea fabula cognouerit, qui, quoniam ſunt, vt de illis Plauti more dicam, Plautiniſſimi, propterea et meminimus eos et adſcripſimus*; quibus ea addi poſſunt, quæ eodem loco de Phauorino tradit. Pari modo AMMONIVS *m*) quoque ratiocinabatur, quum de Ariſtotelis decem prædicamentis diſputaret: *enimuero*, inquit, *duobus inuentis, vt dictum eſt, prædicamentorum voluminibus tum in ceteris; tum in exordia prope conſimilibus, hic verus iuſtusque eſſe philoſophi iudicatus eſt liber ab interpretibus omnibus.* Quemadmodum autem eiusmodi argumenta et indicia, quæ ad diiudicandos germanos adulterinosque ingeniorum fetus ex ſtili differentia et dogmatum conſenſu ſumebantur, ita comparata erant, vt criticum præter ſpem fallerent; ita veteres ſcriptorum cenſores hoc probe perſpexerunt atque his ſolis ſubſidiis, quæ ſcribendi ratio ſententiarumque conuenientia præbet, haud innitendum eſſe, exiſtimarunt, quemadmodum abunde ex

m) *loco* ſupra *indicato.*

EX QVINCTILIANO *n*) et AVGVSTINO *o*) comprobari poteſt. Inquirebant igitur in ipſa ſcripta, quae dubiae erant fidei, num ex iſtis certi quid de eorum vero auctore eiusque antiquitate; aut aliis coaeuis ſcriptoribus erui poſſit: perlegebant eiusmodi libros ſummo ſtudio, eum ad finem, vt viderent, num in illis eſſent, quae vel aetati auctoris; vel loco, vbi ſcriptus eſſe liber dicebatur; vel aliis rebus contradicerent: peruolutabant aliorum ſcriptorum ingenii monimenta, in quibus libri eius, de cuius auctoritate diſputabant, forſan mentionem factam eſſe, ſuſpicabantur, vt ex iis verum auctorem inueſtigare poſſent, quam in rem *indices* quoque *librorum*, ſupra memoratos, in ſubſidium ipſi critici vocare ſolebant. Varia veterum teſtimonia eorum ſingulare hac in re ſtudium confirmant. Ex multis GALENVM *p*) et SIMPLICIVM *q*) nomino, quorum ille *librum de natura hominis* ab Hippocrate compoſitum eſſe, ex eo probat, quod Plato iſtum huic auctori adtribuerit; hic vero, quum de *categoriis Ariſtotelis* agit, eius auctoritatem nullo magis idoneo argumento confirmari poſſe, credit: quam quod ipſe Ariſtoteles

 libri

n) *libr.* III. *inſtit. orat.* cap. 5. et 6.

o) *libr.* XXXIII. *contra Fauſtum* cap. 6. *tom.* VIII. *oper.* p. 330. ed. Bened.

p) *comm.* I. *in hunc librum*, *tom.* III. *operum*, p. 98.

q) *loco excitato.*

libri huius meminerit, ſibique iſtum vindicauerit. Ita criticos veteres Demoſtheni orationem de Hegeſippo ea de cauſſa abiudicaſſe, legimus, quoniam auctor eius in iſta profiteatur, ſe *Calippum Pæanienſem violatarum legum reum feciſſe*; quum tamen conſtet, Calippum hunc non a Demoſthene; ſed ab Hegeſippo adcuſatum eſſe *r*). Leonides apud ATHENAEVM *s*) recitatos ibidem verſus vel ideo ab Heſiodo profectos eſſe, negabat, quoniam in illis vrbis Parianorum, Byzantii, Tarenti Brutiorum Campanorumque facta ſit mentio, quibus omnibus poeta antiquior fuerit. Plura ad hoc argumentum ſpectantia teſtimonia IO. WOWERIVS *t*) et IO. CLERICVS *u*) adferunt.

XVIII

EXPLICAVI iam primum criticorum munus, quod in remouendis adulterinis ſcriptis poſitum fuit. Accedo ad alterum eorum officium, quo gloſſemata, cum ipſis auctorum veterum verbis ob librariorum negligentiam permixta, auferre ac omnia corrupta loca in illis rite emendare ſolebant *x*). Ad gloſſemata quod ſpectat, obſeruan-

r) p. 21. *operum Demoſthenis.*

s) *libr.* III. *dipnoſoph. cap.* 30. p. 116.

t) *polymath. cap.* XVI. p. 169.

u) *libro indicato.*

x) vide PLINIVM *libr.* IV. *epiſt.* 26. *libr.* V. *epiſt.* 17. et SIDONIVM APOLLINAREM *libr.* VIII. *epiſt.* 3. *libr.* XI. *epiſt.* 28.

ſeruandum eſt, illos grammaticos, quibus commiſſa fuit prouincia, antiquos ſcriptores ex philologiæ, antiquitatum et hiſtoriæ fontibus illuſtrandi, in interpretationibus ſuis id inprimis egiſſe, vt voces obſcuriores illuſtrarent ac veram illarum ſignificationem oſtenderent, id quod eo potiſſimum tempore neceſſarium erat, quo græca lingua nitorem ſuum priſtinum amittere: a caſtitate, qua ſeſe adhuc commendauerat, deflectere et vocabula peregrinæ originis recipere cœpit. Omnes eiusmodi voces tam peregrinæ; quam obſcuriores et minus vſitatæ *gloſſarum* nomine inſignitæ ſunt; quoniam vero in earum interpretatione grammatici occupati erant, factum eſt, vt his ipſis vocabulorum breuibus explicationibus *gloſſarum* adpellatio tribueretur. Grammaticorum iſtorum interpretationes diuerſi fuerunt generis. Nonnulli cuiusdam gentis proprias illuſtrabant voces, quo HERMONACTIS γλῶσσαι Κρητικαὶ ARISTOPHANIS γλῶσσαι Λακονικαὶ, DIODORI γλῶσσαι Ιταλικαὶ, AELII DIONYSII, GALENI aliorumque λέξεις *Atticæ*, DEMETRII *voces Alexandrinæ*, MOSCHI γλῶσσαι *Rhodiacæ* cet. pertinent. Alii voces, vti vocare ſolent, *technicas*, quæ in diſciplinis tantum vſitatæ ſunt; vel ſingulares ſibi in illis vindicant ſignificationes, recitarunt, quemadmodum in antiquis ingeniorum monimentis gloſſæ *theologicæ*,

logicæ, *iuridicæ*, *medicæ*, *philoſophicæ*, *chemicæ*, *rhetoricæ* et *grammaticæ* commemorantur. Atque ab his ii denique diuerſi ſunt, qui omnis generis voces collegerunt, et quidem vocabula vulgaria, peregrina, barbara, rariora ac minus vſitata, omniaque, quæ interpretatione digna videbantur. Gloſſæ eiusmodi a grammaticis vel ad ipſa ſcriptorum verba adponebantur; vel in ſingulares libros transferebantur, quumque poſtea alii eiusmodi gloſſas coniungerent, et in vnum opus colligerent, originem ex hoc gloſſaria et lexica habuerunt, in quibus omnes voces ſecundum litterarum ordinem rite diſponi ſolebant. Plura de his glosſis ſuppeditabunt: LVD. CAEL. RHODIGINVS *x*), IO. WOWERIVS *y*), PHIL. IAC. MAVSSACVS *z*), IO. HENR. BOECLERVS *a*), IO. FRID. GRONOVIVS *b*), IO. IONSIVS *c*), LVD. KVSTERVS *d*), IO. ALB. FABRICIVS *e*), IO. CLERI-

x) *libr.* XIII. *lection. antiquar. cap.* 4. p. 664.

y) *polymath. libr.* VIIII. p. 78. ſq.

z) *diſſ. crit. in Harpocr. lex.* p 390.

a) *diſſ. de lexic. tom.* I. *diſſ acad.* p. 645.

b) *obſ ad ſcript. eccleſ. cap.* XXIIII. p. 259.

c) de *ſcript. hiſt. philoſ. libr.* II. *cap.* 5. p. 141.

d) *hiſt. crit. Homeri ſect.* VII. p. 112.

e) *exerc. de lexic. græc.* addita *decadi decadum plagiariorum* §. XIII. item *biblioth. græc. libr.* IIII. *cap.* 34. p. 538. et *not. ad Sext. Empiric.* p. 233.

CLERICVS *f*), IO. AVG. ERNESTI *g*), venerandus pater *h*) aliique. Præter has gloſſas *i*) ſæpe quoque ea, quæ ſcriptor dixerat, fuſius explicabant: res commemoratas illuſtrabant *k*) ſupplebantque ob maiorem perſpicuitatem, auctori priſco conciliandam, ea, quæ omiſſa fuerant.

XVIIII

QVONIAM eiusmodi breues grammaticorum obſeruationes ad ipſa verba auctorum ſcribi ſolebant, factum poſtea eſt, vt partim

f) *vol.* II. *art. cric.* p. 79

g) *diſſert. de gloſſariorum græcorum vera indole et recto vſu*, Lipſ CIↃ IↃ CCXLII.

h) *hiſt. crit. lat. lingu. cap.* V. §. 2. p. 329. ſq.

i) eiusmodi gloſſæ breuia ſcholia erant, a quibus ipſi in priſcos auctores commentarii diſtingui debent, cuiusmodi APPION, PORPHYRIVS, PTOLEMAEVS, Ariſtonici grammatici pater, PTOLEMAEVS *Epithetes*, CALLIMACHVS in Homerum, aliique in alios ſcriptores exararunt. Nonnulli quoque lexica in veteres ſcriptores compoſuerunt, quod APPIANI et APOLLONII *lexica Homerica*, BOETHI *lexicon Platonicum*, LONGINI λέξεις Αντιμάχε καὶ Ηρακλέωνος cet. teſtantur.

k) varii grammatici quæſtiones dubias, quas in priſcis auctoribus deprehenderant, perſequebantur, ita, vt vel illas ſolum proponerent, easque aliis diiudicandas relinquerent; vel ad iſtas ſimul reſponderent ac ſibi factos ſcrupulos euellerent. Ad horum claſſem Hephæſtion, Heraclides Ponticus, Zeno criticus, Zenodotus, Longinus, Diogenes Tarſenſis, Porphyrius aliique referendi ſunt. Ipſa ζητήματα, vti vocabantur, varii fuerunt generis, pro diuerſitate diſciplinarum, quas ipſi ſcriptores explicabant.

tim per librariorum: partim per grammaticorum imperitiam et negligentiam cum ipſis auctorum verbis permiſcerentur atque in illa irreperent. Criticorum igitur munus poſtulauit, vt ex veterum auctorum ſcriptis eiusmodi gloſſas atque explicationes grammaticorum proſcriberent, vtpote quæ verborum ſeriem valde turbabant: ſenſum plane obſcurabant ac multum de ſtili elegantia, qua auctor ſeſe commendabat, detrahebant. Sæpe quoque ipſis poetarum carminibus verſus falſi et a fraudulenta manu additi deprehendebantur, qui itidem a criticis auferri ac proſcribi ſolebant. Hoc iam alio loco *l*) comprobaui, quum obſeruarem, rhapſodos, qui carmina Homeri cecinerant, multa addidiſſe de ſuis ſordibus et, vt carmina ad decantandum apta redderentur, et initium; et finem iis adiunxiſſe. Ita Zenodotus aliique critici ſibi perſuaſerunt, hos Homeri *m*) verſus:

ἀλλὰ πολὺ μείων ὀλίγος μέν. ἔην λινοθώρηξ,
ἐγχείῃ δ' ἐκέκαστο πανέλληνας καὶ Ἀχαιούς,

ſed multo minor, paruus enim erat, lineam thoracem habens haſtæque peritia ornatus, erat, vt quiuis alius græcorum et Archiuorum,

ab

l) *diſſ. de ortu et progreſſu artis crit. apud veter. rom.* p. 13.

m) *Iliad.* β. *v.* 529. et 530. *tom.* 1. *oper.* p. 86. ed. BARNES.

ab alio compoſitos et in Homerum illatos eſſe, ut *græca* ad hunc locum ſcholia docent, ad quam ſententiam eos vox ἕλληνες adduxit, quam poetam hoc loco pro vniuerſis Græciæ incolis vſurpaſſe, dicunt; quum tamen eius ætate hoc nomine ſoli Phtiotæ Theſſali inſigniti fuerint. Recte quidem dixerunt critici, vocabulum hoc Homeri æuo nunquam generatim omnes græcos deſignaſſe; negat autem EVSTATHIVS *n*), Homeri verſus de vniuerſa græcia eiusque omnibus incolis interpretandos eſſe; ſed potius verba adducta de Phtia, Theſſaliæ vrbe, accipit. Pari modo hunc poetæ locum *o*):

εἰ μή γρηῦς ἐστὶ παλαιὴ κέδν' εἰδυῖα
ἥτις τέτληκεν τόσσα Φρεσίν ὅσσα τ' ἐγώ περ
τήνδε δ' ἂν ἐ Φθονέοιμι ποδῶν ἅψασθαι ἐμεῖο,

niſi aliqua vetula eſt antiqua prudentia ſciens
quæ tolerauit tot mente, quot ego,
huic non inuidero pedes tangere meos

germanum eſſe, negarunt, vt EVSTATHIVS itidem teſtatur, additis quoque rationibus, quare ita ſtatuerint. Sic et Solon; vel, vt alii volunt, Piſiſtratus hos verſus *p*) Homericis carminibus inſeruiſſe, dicitur:

Αἴας

n) *comm.* in *libr. β. Iliad.* p. 508. p. 572.

o) *odyſſ. τ. v.* 346. ſq.

p) *Iliad. β. v.* 557. p. 88.

Α'ιας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες,

Aiax vero ex Salamine adduxerat duodecim naues
ſtetit vero, vbi Athenienſium ſtabant phalanges,

ſibique perſuaſere veteres critici *q*), id ea de cauſſa a Solone factum eſſe, vt ex Homero demonſtrari antiquitas Salaminæ poſſit, de qua Megarenſes atque Athenienſes inter ſe diſputarunt. Adde huius rei teſtes EVSTATHIVM *r*), DIOGENEM LAERTIVM *s*) et QVINCTILIANVM *t*) aliosque, qui de hoc argumento fuſius expoſuerunt. Idem fatum Virgilius aliique poetæ ſunt experti, id quod abunde ex illius *libro tertio* monſtrari poſſe, crediderunt critici atque exiſtimarunt, hæc verba: *u*)

de collo fiſtula pendet,

ab alio ad ſupplendum verſum addita eſſe, quoniam eum ſemiplenum reliquiſſet poeta, quemadmodum in aliis quoque verſibus accidit, quum ipſi ob ſuprema fata non tantum temporis ſpatium datum fuiſſet,

q) vid. HENR. STEPHANVM de *crit. vet. græc.* et *latin.* p. 23. LVD. KVSTERVM *hiſt. crit. Homer.* p. 104. IOS. BARNESIVM *not. ad Homeri Iliad.* p. 88. IO. CLERICVM *art. crit.* *vol.* II. p. 213.

r) *comm. ad hunc locum* p. 596.

s) *libr.* I. *ſegm.* 46. et 48. p. 27. ſq.

t) *libr.* V. *inſtitut. orat.* *cap.* 11.

u) *v.* 661.

ſet, vt carmina ſua relegere, emendare et omiſſa addere potuerit. Grauitati enim generis, quo poeta vtitur, haec de fiſtula verba minime reſpondere, putabant, quippe quæ potius ad bucolicum carmen remitti debuiſſent.

XX

OMNIA iſta adulterina, gloſſemata aliaque huius generis a criticis ſublata veterumque ſcriptorum verba ad priſtinam integritatem atque elegantiam reuocata eſſe, varia exempla confirmant. Prouoco ad hac CICERONIS *u*) verba: *nihil Romæ geritur, quod te putem ſcire curare, niſi forte ſcire vis, me inter Niciam noſtrum et Vidium iudicem eſſe. Profert alter, vt opinor, duobus verſiculis expenſum Niciæ: alter Ariſtarchus hos ὀβελίζει, ego tamquam criticus antiquus iudicaturus ſum, vtrum ſint* τȣ̃ ποιητȣ̃, an παρεμβεβλημένοι, quibus verbis ſignificat, quemadmodum Ariſtarchus adulterinos verſus poetarum deleuerit; nec pro veris acceperit; ſic quoque Niciam verſiculos illos, expenſam pecuniam indicantes, non agnouiſſe; ſed pro fictis putaſſe. Verſus παρεμβεβλημένοι opponuntur verſibus τȣ̃ ποιητοῦ et; vti per hos *germani*; ſic per illos *interiecti* et *adulterini* indicantur. Obſerues

u) *libr.* VIIII. *epiſt.* 10. *ad familiar.* adde SVETONIVM de *illuſtr. grammat. cap.* XIIII.

ſerues quoque velim, Ciceronem Niciam adpellaſſe *Ariſtarchum*, quippe cuius exiſtimatio apud veteres tanta fuit, vt nomen eius pro ipſo poetarum cenſore vſurparetur, quod non ſolum HORATII *x*); ſed aliorum quoque effata apud DESIDERIVM ERASMVM *y*), GER. IO. VOSSIVM *z*) et PETR. BAELIVM *a*) comprobant. Verſiculos hos Nicias ὀβελίζει, id eſt: *obelo notat;* ſiue ſigno veterum criticorum vſitatiſſimo, quod transuerſæ virgulæ figuram; nomen autem a veru, ad cuius ſimilitudinem quodammodo accedebat, habuit, et a poetarum cenſoribus ad verſus adulterinos notandos obſeruandaque gloſſemata adhibitum eſt. A figura etiam δόρυ, ῥάβδος, *virgula cenſoria* cet. in antiquis ingeniorum monimentis dicitur, vt ex QVINCTILIANO *b*) patet, qui ſigni huius mentionem facit idque criticis ad remouenda in poetis verba adulterina vindicat: *iudicio*, inquit, *tam ſeuere vſi ſunt veteres grammatici, vt verſus cenſoria quadam virgula notare, permiſerint ſibi*, vbi per virgulam cenſoriam, vt omnes rationes docent, obelum intelligit, quippe quo verſus falſi notari ſolebant.

x) *art. poet. v.* 445.

y) *chil* 1. *adagior. cent.* 5. *n.* 27. p. 227.

z) de *art. grammat. libr.* 1. *cap.* 6.

a) *diction. biſt. crit. tom.* 1. p. 318.

b) *libr.* 1. *inſtit. orator. cap.* 5.

bant. Idem AVSONIVS *c*) confirmat, quando ita canit:

Moeonio qualem cultum quæſiuit Homero
cenſor Ariſtarchus, normaque Zenodoti:
pone obelos igitur, ſpuriorum ſtigmata vatum,
palmas non culpas eſſe putabo meas.

Obeli huius mentionem quoque facit HORATIVS *d*), quando critici munera ita recenſet:

vir bonus et prudens verſus reprehendet inertes:
culpabit duros, incomtis allinet atrum
transuerſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
ornamenta: parum claris lucem dare coget:
arguet ambigue dictum, mutanda notabit:
fiet Ariſtarchus.

Præterea haud omitti debet, quod de criticorum iſto ſigno ISIDORVS *e*), diligens notarum criticarum interpres, obſeruauit: *obelus*, inquit, *eſt virgula iacens, adponitur in verbis; vel ſententiis ſuperflue iteratis; ſiue in iis locis, lectio vbi aliqua falſitate notata eſt, vt quaſi ſagitta iugulet ſuperuacua atque falſa confodiat.* Ex his igitur teſtimoniis abunde conſtat, criticos gloſſemata ac quæuis adulterina remouiſſe et obelo hanc in rem vſos eſſe, qui lectori voces interiectas et ab alio additas ſignificaret. De M. Valerio

 Probo

c) *lud.* VII. *ſapient.* vid. ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVM *diſſ. academ.* p. 232.

d) *art. poetic. v.* 445. p. 703 edit. BENTLEII.

e) *libr.* I. *origin. cap.* 21. p. 16.

Probo memoriæ prodidit SVETONIVS *f*) eum *multa exemplaria contracta emendare ac diſtinguere et adnotare curaſſe: et ſoli huic; nec vlli præterea grammatices parti deditum fuiſſe*, quibus verbis ſignificat, grammaticum iſtum arti criticæ potisſimum, tamquam grammatices principi parti, operam ſuam ita addixiſſe, vt loca corrupta emendaret: *diſtinctiones* et *ſubdiſtinctiones*, id eſt, puncta, pro diuerſo ſitu aliter atque aliter valentia, adponeret ac denique omnia ea, quæ adulterina: memoratu digna; aut dubia, itemque eleganter; aut minus eleganter ſcripta erant; vel aliud quid tam laudandum; quam reprehendendum continebant, adnotaret. Non recte interpretantur locum, qui eum ſolum de notatione gloſſematum agere exiſtimant. Vox *adnotare* enim generatim de omnibus dicirur, quæ critici in lectione auctorum obſeruarunt, quumque ea maxime inter ſe diuerſa eſſent, hine et varia *adnotationum* exſtiterunt genera, quum aliæ ad gloſſemata: aliæ ad ſcribendi vitia, tam ab ipſo ſcriptore; quam librario facta: aliæ ad loca corrupta, memorabilia, laudanda, culpanda cet. ſpectarent. PLINIVS *f*): *mox quaſi*, inquit, *alio die ſtudebat in cœnæ tempus: ſuper hanc liber legebatur, adnotabatur et quidem curſim*, quum paullo ante hæc protuliſſet: *poſt cibum*

f) de *illuſtr. grammat.* PITISCI. *cap.* XXV. p. 1089. edit.

f) *libr.* III. *epiſt.* 5.

bum ſæpe æſtate, ſi quid otii, iacebat in ſole, liber legebatur adnotabat excerpebatque; alio vero loco g): *nullum emendandi genus omitto ac primum, quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto: deinde duobus; aut tribus lego: mox aliis trado adnotanda, notasque eorum, ſi dubito, cum vno rurſus; aut altero penſito: nouisſime pluribus recito ac, ſi quid mibi credis, tunc acerrime emendo,* vbi obſerues velim, adnotationem ad ipſum ſcriptoris exemplum, quod in manu habebant, factam et, quæ adnotabantur, poſtea excerpta eſſe, adhibitis ſingularibus libris, qui *commentarii, commentaria, ὑπομνήματα, breuiaria, ſummaria, memoriales, collectanea* cet. dici ſolebant *h*). In hac adnotatione certis, vt iam indicaui, ſignis vtebantur, et, vt quilibet ea obſeruabat, quæ conditioni litterarum ac ſtudii, quod amplexus fuerat, conueniebant; ita cognitæ inprimis fuerunt notæ criticorum, ad quas obelorum varia genera, aſteriſcus, lemniſcus, hypolemniſcus, antiſigma, antigraphus, criphia cet. itemque variæ litteræ, vt XP. L. LL. L. SENT. Θ. Φ. XX. aliæque figuræ pertinent *i*).

g) *libr.* VII. *epiſt.* 17.

h) conf. GVIL. BVDAEVM *not. ad pandect.* p. 104. GVID. PANCIROLLVM *not ad not. dignit. imper. orient. cap.* XIII. MATTH. BERNEGGERVM *not. ad Suet. vit. Aug. cap.* XXVIII. p. 144. IO. HENR. BOECLERVM *not. ad Tacit.* p. 236. 237. et GERH. IO. VOSSIVM de *vit. ſermon. libr.* I. *cap.* 26. aliosque plures.

tinent *i*). Quæuis igitur loca, ad quæ eiusmodi ſigna a criticis poſita erant, dicebantur *adnotata*, quamobrem iam intelligimus, quare QVINCTILIANVS *k*) non ſimpliciter dixerit, criticos verſus notaſſe; ſed: criticos verſus *cenſoria virgula* notaſſe, et cur genus adnotationis addiderit. Sic et HORATIVS *l*), quando canit de critico:

arguet ambigue dictum: mutanda notabit,

de iis criticis notis loquitur, quæ locis *mutandis*; ſiue vitioſe ſcriptis ac aliis, corruptionis labe infectis, addi ſolebant. Quod Latini critici *adnotare*, id græci ἀποσημειοῦν et notas ſuas criticas ἀποσημειώσεις; vel σημειώσεις dicebant, quo nomine quoque ipſos commentarios, qui in priſcos auctores exarati ſunt, inſcriptos eſſe, recte GISB. CVPERVS *m*) obſeruat.

XXI

QVAMVIS autem criticorum veterum induſtria in remouendis atque exterminandis gloſſematibus verſibusque falſis maxime laudanda ſit; nec negari poſſit, eorum laborem, quantuscumque fuerit, haud ſine fructu exſtitiſſe; fatendum tamen eſt, eos non ſemper omnis erroris expertes fuiſſe, quum

i) ſcriptores, qui de his ſignis criticis commentati ſunt, *diſſ de ortu et progreſſu art. crit. apud vet. rom.* p 52 recitaui. His addendus eſt clar. C. H. TROTZIVS, *not. ad Hugonem de prima ſcrib. origine* p. 276 ſq.

k) *libr.* 1. *inſt. orat. cap.* 5.

l) *de art. poet. v.* 449.

m) *libr.* 1. *obſeruat. cap.* 15. p. 109.

quum ſæpe ſe fallerent, et germana ab adulterinis veraque a falſis ſæpe non admodum feliciter diſcernerent. Exemplo eſſe poſſunt, quæ critici de his VIRGILII *n*) verſibus:

illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
gramina; nec teneras curſu læſiſſet ariſtas;
vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti
ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas,

ſtatuerunt. Sibi enim perſuaſerunt, memorata hæc poetæ verba ab alius manu Virgiliano carmini adglutinata eſſe ac in iis quaedam vidiſſe ſibi viſi ſunt, quæ a grauitate ſtili Virgiliani abhorrerent. Quis porro eorum audaciam feret, quando ſanum hunc, vt omnes rationes docent, verſum *o*):

ſæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix,

ex germanorum claſſe eximunt, quod fatum et alia multa effata ſunt experta, quæ etiam nunc in variis codicibus deſiderantur, quoniam critici eos delere, ſibi in ſuis codicibus ſumſerant, a quibus poſtea multa alia exempla deſcripta atque in illis omnia, quæ manus eorum abſtulerat, omiſſa ſunt. Quamuis hæc ita ſint; multum tamen nos criticis debere, ex ſupra recitatis exemplis abunde conſtat. Ex his etiam ſubſidia, a criticis ad diſcernenda

 gloſſe-

n) *libr.* VII. *Aeneid. v.* 808. *ſq.*

o) *eclog.* I. *v.* 18. *ſq.*

gloſſemata a germanis ſcriptorum verbis adhibita, cognoſci poſſunt. Vbi enim obſeruabant, verba non apte cohærere, orationemque ſcriptoris non rite fluere, facile ex eo diuinare potuerunt, verba auctorum labe gloſſematum infecta eſſe. Sæpe quoque inelegans atque inconcinna ſcribendi ratio eos, qui gloſſemata addiderant, prodere ſolebat; quum vero critici ex adſidua lectione ſtilum auctoris ſui ab omnibus reliquis ſcriptorum dicendi generibus diſtinguere didiciſſent, ſine multa difficultate officio hoc plerumque perfungi et adulterina, quæ irrepſerant, rite ſeparare potuerunt. In ſubſidium quoque vocarunt alios probæ notæ codices, partim, vt ex eorum cum ſuis comparatione adulterina eo adcuratius a germanis ſecernerent: partim, vt lacunas rite ſupplerent. Quapropter eos multa vnius libri exempla emiſſe eaque inter ſe diligenter comparaſſe, legimus, vt inprimis de Valerio Probo SVETONIVS *p*) teſtatur. Criticos ſæpenumero lacunas ſuppleuiſſe ex comparatis inter ſe multis codicibus, fuſe probare poſſem, ſi tempus permitteret. Non laudandum vero eſt, eos ſæpe lacunis, quas exempli gratia VIRGILIVS, morte præuentus, in carminibus reliquerat, ſubuenire easque ſuis additamentis reſarcire ſibi ſum-

p) de *illuſtr. grammat. cap.* XXIIII.

ſumſiſſe, id quod egregiis exemplis HENR. STEPHANVS *q*) demonſtrauit.

XXII

MVLTVM detrimenti quidem gloſſemata codicibus priſcis adtulerunt; ea tamen iactura quodammodo toleranda erat, quum ſemper ſpes, iſtam reparandi, ſupereſſet; niſi aliis morbis laboraſſent codices iſtique ſæpe multis vitiorum ſordibus contaminati exſtitiſſent, quibus ob librariorum potisſimum negligentiam tam obducti erant, vt ſplendor eorum fere omnis exſpiraſſet, vbi critici falcem ſuam in vberem hanc meſſem haud immiſiſſent: loca innumera corrupta emendaſſent eaque ab interitu, qui imminebat, liberaſſent. Quod ſi ad ipſas corruptiones, quibus codices adfecti erant, animum aduertimus, plures illarum exſtitere cauſſæ, id quod multitudinem illarum haud parum adauxit. Corrumpebantur enim ab ipſis auctoribus, qui, quum homines ideoque imbecillitatum humanarum haud expertes eſſent, nullo modo euitare potuerunt, quin manus eorum ſcribendo aberraret, atque aliter ſcriberet; quam mens cogitabat, id quod ipſe Cicero, princeps latinitatis antiſtes, a ſe haud impetrare potuit. His acceſſerunt vitia ſcribarum, quorum negligentiam iam ſupra enarraui, quumque ſæpe iis

K 5 verba

q) de *crit. vet. græc. et latin.* p. 59.

verba ab aliis dictarentur, iſti per negligentiam ſuam ſcribere ſolebant, non quæ audiebant; ſed quæ ipſi in animo habebant. Is, qui aliis ſcriptum quoddam prælegebat, vt a librariis exciperetur, ſæpe ad laborem hunc non præparatum; ſed aliis curis negotiisque diſtentum adferebat animum, quo factum eſt, vt haud raro et falſo legeret; et inepte pronuntiaret, ac per id efficeret, vt ſcriba, qui plerumque in litterarum ſtudiis hebes ac rudis erat, turpia menda codici ſuo inferret. Librarii porro nullam curam ad id adhibuerunt, vt noua exempla cum aliis vetuſtioribus compararentur, et quid plura dicam? ipſi critici, qui emendationi præerant, quique codices ab erratis purgare: vitia eorum corrigere ac ſcriptores ab his iniuriis vindicare debuerunt, officio ſuo ſæpe tam infeliciter perfuncti ſunt, vt auctores abſonis ſuis emendationibus deformarent potius; quam ad priſtinum ſplendorem reuocarent *r*). Præterea ipſi codices ſæpe ita comparati erant, vt noua exempla, quæ de iſtis deſcribebantur, non poſſent non vitio-

r) conf. IO. WOWERIVM *polym. cap.* XVIII. p. 188. IO. HENR. HOTTINGERVM *analect.* p. 343. CAROL. DV FRESNE *præfat. gloſſar. latin. med.* p. 6. IO. NICOL. FVNCCIVM de *veget. latin. lingu. ſenectut.* p. 17. IO. CLERICVM *art. crit. vol.* II. p. 1. ſq. et cel. CHRIST. AVG. HEVMANNVM *parerg. crit.* p. 43.

vitioſiſſima in lucem publicam prodire. Nonnullos vetuſtas fere conſumſerat, ita, vt multa vocabula non rite legi potuerint. Alii tam ineleganter ac tam multis ſcribendi compendiis, quæ apud notarios potiſſimum in vſu erant, exarati fuerunt, vt vix ac ne vix quidem lectores ſcriptionem intelligerent, adeo, vt neceſſitas ipſis imponeretur, ad librarios et bibliopolas ſe conferendi, vt hi, certo præmio promiſſo, ipſis libros prælegerent ac notas et characteres, in illis exſtantes, explicarent, vt ISAAC. CASAVBONVS *s*) obſeruat. Proinde facile intelligitur, quam maxime veteres æſtimauerint codices adcurate ſcriptos et, quum iſti in ſummo haberentur pretio, quanta dignitas ipſis, vti vocantur, *autographis* tributa fuerit. Solius Ptolomæi exemplum hoc comprobare poteſt, qui Athenienſibus, fame laborantibus, non prius alimenta præbuit; quam ipſi autographa comoediorum Sophoclis, Euripidis et Aeſchyli exhibuiſſent. De ipſo pretio librorum manu exaratorum hic plura dicere, abs re alienum foret *t*); id tantum obſeruari

s) *not. ad* DIOG. LAERTIVM p. 204. edit. MENAGII.

t) libri manu ſcripti magno olim ſumtu quidem; ſæpe tamen nonnunquam et vili pretio emi potuerunt, quod maximam partem pro diuerſitate auctorum, ipſiusque codicum conditionis diuerſum erat. MARTIALIS *libr.* I. *epigr.* 118. ſcribit: *primum librum ſuum quinque denariis vendi ſolitum:*

ſeruari velim, criticos inprimis apud veteres libris æſtimandis ipſisque iuſtum pretium adſignandis adhibitos eſſe eosque examinare debuiſſe codices atque in id inquirere, num adcurate eſſent deſcripti, nec ne? quum pretium eorum ab adcurata ſcriptione maxime penderet. Loca ipſa, quæ corruptionis vitio laborabant et quibus *adnotamenta criticorum* adpoſita erant, *deculpata* dicebantur; in eo vero errat ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIVS *u*), quando ſibi perſuadet, ipſa vitiorum adnotamenta *culparum* nomen habuiſſe. Vt enim ex GELLIO *x*) patet, non criticorum notæ; ſed ipſa vitia, ad quæ notæ iſtæ adponi ſolebant, *culpæ* adpellata ſunt.

XXIII

QVVM igitur libri manu exarati maxime eſſent deprauati, omnem ſuam operam critici

ſolitum; contra ea de Platone et Ariſtotele hæc refert GELLIVS; *memoriæ mandatum eſt, Platonem philoſophum tenui admodum pecunia familiari fuiſſe atque eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum. Id ei pretium donaſſe, quidam ſcripſerunt, amicum eius Dionem Syracuſanum. Ariſtotelem quoque traditum libros pauculos Speuſippi philoſophi poſt mortem eius emiſſe talentis Atticis tribus. Ea ſumma fit nummi noſtri HS. duo et ſeptuaginta*: *libr.* I. *c.* 17. adde LAERTIVM *libr.* III. *ſegm.* 9. *libr* VIII. *ſegm.* 15 De eiusmodi librorum veterum pretiis diſſerit CHRIST. SCHOETTGENIVS *diſſ. de librar. et bibliopol. vet.*

u) *diſſert academ.* p. 238.

x) *libr.* XII. *cap.* 2. adde *libr.* XVIIII. *cap.* 10.

critici ad id retulerunt, vt antiquos ſcriptores a corruptionibus purgarent: emendarent atque ad priſtinam integritatem reuocarent. Corrigebant menda librariorum ac ſcribarum: vindicabant omnibus vocibus legitimum locum, quum ſæpe non ſolum ſingulares voces ac litteræ; ſed toti quoque in poëtis verſus per negligentiam transpoſiti; aut penitus omiſſi eſſent: recenſebant diuerſas aliorum criticorum de corruptis locis ſententias, easque vel reiiciebant; vel laudabant ac ſuum conſenſum profitebantur. Addebant cauſſas, quare hic, vel ille locus pro corrupto putandus et quam ob rationem ipſi medicina adhibenda ſit: comprobabant ſuas emendationes argumentis, quæ vel ex aliis ſcriptorum teſtimoniis; vel ex conſenſu codicum manu ſcriptorum; vel ex aliis argumentis petita erant, ita vt quod libere fatendum eſt, maxima laude digni ſint adcurati et diligentes iſti veterum librorum iudices. Quid græci in hac critices parte, antequam tota diſciplina in Latium migrauit, præſtiterint, abunde teſtantur ea, quæ de Piſiſtrato, de Zenodoto, de Ariſtarcho aliisque multis in antiquis ingeniorum monumentis memoriæ prodita ſunt. Quot διορθώσεις; ſiue *emendationes* in vnicum exſtitere Homerum, recenſitæ a IO. ALB. FABRICIO y)? quot inter græcos criticos,

y) *libr. II. biblioth. græc. cap. 2. vol. II, p. 270.*

criticos controuerſiæ ſunt ortæ de corruptis locis eorumque legitima emendatione? Multa huius rei exempla adferre et ad locupletes teſtes ATHENAEVM, DIOGENEM LAERTIVM, SVIDAM, GALENVM, ARISTIDEM aliosque multos, qui varia criticorum græcorum exempla enarrant, prouocare poſſem, vbi fuſe de græcorum criticis hic dicere, animus eſſet. Romani certe haud ſegniores fuiſſe, videntur z), quod vel vnicum hoc GELLII a) effatum comprobat, vbi de anagnoſta, publice Ennii libros prælegente, loquitur, quem Iulianus rhetor differentem audiuerat ac de eo diſcedente ita iudicauerat: *quid vobis de hoc ἀναγνώςῃ et de* quadrupede equo *videtur? Sic enim profecto legit:*

denique vi magna quadrupes equus atque elephanti,

proiiciunt ſeſe,

ecquid putatis, ſi magiſtrum prælectoremque habuiſſet alicuius æris, quadrupes equus *dicturum fuiſſe, ac non:* quadrupes eques? *quod ab Ennio ita ſcriptum relictumque eſſe, nemo vnus litterarum veterum diligens dubitauit;* paullo poſt vero IVLIANVS hic ita pergit: *ſed contentus ego his non fui et vt non turbidæ fidei; nec ambiguæ; ſed, vt pure liquentiusque eſſet,* equus *ne; an* eques *Ennius*

z) varia hanc in rem effata adfert BVRMANNVS *not. ad Valeſ.* p. 280.

a) *libr.* XVIII. *noct. Att. cap.* 5.

nius ſcriptum reliquiſſet, librum ſummæ atque reuerendæ vetuſtatis, quem fere conſtabat Lampadionis manu emendatum, ſtudio pretioque multo vnius verſus inſpiciendi gratia conduxi et eques; *non:* equus *ſcriptum in eo verſu inueni.* Ex his verbis ſole clarius patet, Romanos tam ſeueros codicum cenſores exſtitiſſe, vt et ne minimam quidem maculam haud prætermiſerint, quin eam abſtergerent a ſcriptore eumque emendatiſſimum redderent. Addo his ſequentia eiusdem ſcriptoris verba *a*): *ibi expoſiti erant Fabii annales, bonæ atque ſinceræ vetuſtatis libri, quos venditor ſine mendis eſſe, contendebat. Grammaticus autem quispiam de nobilioribus* ſiue *criticus*, qui in grammaticorum coetu nobilisſimum et præcipuum locum occupabat, *ab emtore ad ſpectandos libros adhibitus, reperiſſe vnum in libro mendum dicebat.* Quo adcuratius enim deſcripti libri erant, eo maius ipſis tribuebatur pretium; hinc vero bibliopolæ expoſitos ad vendendum libros emendatisſimos eſſe, iactabant, vt eo maius lucrum ſibi ab emtoribus promittere poſſent, qui, ne defraudarentur, omni modo proſpiciebant, et hanc ob cauſſam criticorum conſiliis et iudicio vtebantur, vt ſupra iam obſeruaui. Plura de hoc argumento exhibent: IO. WOWERIVS *b*), ISAAC. CASAVBONVS *c*)

a) *libr.* V. *noct. Att. cap.* 4.
b) *polymath. cap.* XVIII. p. 191.

NVS *c*), ANDR. CHRIST. ESCHENBACHVS *d*) aliique.

XXIIII

VT labor, quem critici emendationibus his conſecrabant, ex voto animique ſententia ſuccederet, curarunt, vt optimos et bonæ fidei codices ſibi compararent, quum ſine iſto ſubſidio nullas optatas progreſſiones ſe facturos eſſe, probe animaduerterent. Præter alios hoc confirmat GALENVS *e*), qui refert, interpretes vario modo librum Hippocratis corrupiſſe et pro arbitrio ſuo verba immutaſſe ita, vt neceſſitas ipſi impoſita fuerit, veteres codices et aliorum interpretum libros, qui iam Hippocratem emendauerant et obſeruationibus illuſtrauerant, conquirendi atque his ſubſidiis veram verborum lectionem indagandi. Non ſemper tamen criticis occaſio data fuit, probatos codices ſibi emendi, et, ſi ea quoque aderat, eorum res ſæpenumero parua fortunaque tenuis fuit, ita, vt tantos ſumtus impendere minime poſſent, quantos tamen hoc ſtudium ab iis efflagitabat, qui feliciorem laborum ſuorum ſucceſſum ſibi optabant. Ipſe STRABO *f*) confitetur, ſe Eudori et Ariſto-

c) *not. ad Sueton.* p. 766.
d) *diſſert. acad.* p. 232. ſq.
e) *comm.* in *Hippocrat. libr.* VI. *epidemior. tom.* VIIII. *oper.* p. 353.
f) *libr.* XVII. *geograph. tom.* II. p. 1339. edit. ALMELOVEENII.

Ariſtonis libros περὶ Νείλου emendare voluiſſe; id vero propoſitum non aliter exequi potuiſſe; quam collatione vtriusque inter ſe ſcriptoris, quoniam codices in ſubſidium vocandi, poteſtas data ipſi haud fuerit. Eam ob cauſſam ſæpe ad ingenium refugiendum erat, vbi vel codices opem ſuam denegabant; vel criticus iis deſtitutus erat. GALENVS hanc in rem ſcribit, ſe codices quidem præferre et, quantum fieri poſſet, eorum lectionem ſequi; vbi vero hoc fieri non poſſet, *tum demum probabili; aut veroſimili emendatione locum corrigendum eſſe.* Exemplo ſuo hoc ipſe comprobat, et HIPPOCRATIS verbis: πρὸς δὲ τὸ ἀφροδέσων αἱ οὐραὶ ἔβλεπον, pro οὐραὶ, reponit, θυραὶ, nulla codicum auctoritate munitus; ſed ingenio ſuo innixus, quum libri manu ſcripti ſuccurrere ipſi haud poſſent. Præterea conſuetudo criticis quoque fuit, libros, qui de vno argumento expoſuerunt, inter ſe comparandi, et in alterutro, qui lectionem corruptam præ ſe ferebat, ea reſtituendi, quæ per librariorum ac ſcribarum negligentiam corrupta fuerant.

XXV.

HAC ratione quilibet, me haud monente, intelliget, quam egregie veteres critici de auctoribus meruerint quantaque cura codicibus prouiderint, ne illi corrumpe-

rumperentur et per vitia ſcribendi ſplendorem ſuum amitterent, poſteritasque eorum fructu deſtitueretur. Quæ enim, quæſo, facies eſſet ſcriptorum noſtrorum, quos benignior nobis ſeruauit fortuna; niſi critici tempeſtiue de emendatione eorum cogitaſſent? et quantum, putas, de incorruptis auctorum verbis ad nos ſine criticorum ope delatum fuiſſet? Quæ licet ita ſint bonique critici omnem mereantur laudem; haud tamen negandum eſt, exſtitiſſe alios, qui ſuis partibus non ſemper rite ſatisfacerent et ineptis ſuis emendationibus auctorum priſcorum ſplendorem valde obſcurarent. Sæpe ex græciſmis, quos deprehendebant, indicium corrupti loci ſumſerunt. Nonnunquam rarior; aut parum vſitata vox, a ſcriptore adhibita, ipſis occaſionem dedit, de medicina, ad locum ſanum adplicanda, cogitandi. Ipſi ſcriptores ſæpe de rebus nouis et antea incognitis ſcribebant, quumque nouis vocabulis vti nollent; vel a græcis illa mutuabantur; vel latinis vocibus nouas tribuebant ſignificationes. Hoc itidem haud exiguas criticis peperit difficultates, ex quibus ſæpe expedire ſeſe minime poterant. Quum enim non caperent auctoris ſenſum, locus, qui ipſis obſcurus erat, pro corrupto putabatur. Ita miſere torquent verſus quosdam HOMERI *g*) de Agamem-

g) *odyſſ.* ω. v. 122. p. 623. edit. BARNES.

memnone, eosque emendare; vel penitus ex toto opere eximere volunt, quoniam in illis Agamemnoni mortuo tituli tribuantur, quos viuus habuerit. Ita GALENVS *b*) de criticis Artemidoro Capitone aliisque refert, eos multas antiquas lectiones mutaſſe et quidem peruerſam ſententiam celebri huic medico adfinxiſſe, id quod exemplo quoque confirmat alio loco; vbi Dioſcorides vocem ὑποψάθυρα in ὑποψεφαρὰ mutat. Id GELLIVS *i*) quoque his verbis comprobat: *in oratione Ciceronis quinta in Verrem ita ſcriptum fuit;* hanc ſibi rem præſidio ſperant futurum. *Videbatur quam pluribus in extremo verbo menda eſſe. Decuiſſe enim ſcribi putabant non* futurum; *ſed* futuram; *neque dubitabant, quin liber emendatus eſſet, ne ita in Ciceronis oratione ſoloeciſmus eſſet manifeſtarius. Aderat ibi forte amicus noſter, is, libro inſpecto, ait, nullum eſſe in eo verbo neque mendum; neque vitium.* Apud eumdem ſcriptorem *k*) criticus, qui ab alio in bibliopolarum tabernas ductus fuerat, vt codices ibi venales inſpiceret ac probaret, num eſſent adcurate ſcripti; nec ne, Fabium ſcriptorem emendare et pro *duo et viceſimo* ſcribere *duodeuiceſimo* ſibi ſumſit; quum tamen Fabium *duo et viceſimo* ſcripſiſſe, GELLIVS ex

 alio

b) *comm. in libr. de nat. cap.* 7. *hom. tom.* III. *oper.* p. 97.

i) *libr.* I. *noct. Attic. cap.* 4.

k) *libr.* V. *noct. Attic.*

alio eiusdem ſcriptoris loco oſtendit. Sic etiam verſus quosdam VIRGILII *l*), ſi non emendatione; maxima tamen reprehenſione dignos eſſe, iudicant, vbi vocem *vexaſſe* de re atroci non apte a poeta vſurpari, perhibent. Vox *amaror* iis temporibus, quibus linguæ latinæ decus et caſtitas defloreſcere coepit, non admodum vſitata erat; hinc vero, quum ea et criticis, qui iſtam in VIRGILIO legebant, incognita eſſet, ſtatim locus pro corrupto declarabatur medicinaque parabatur; ita, vt pro amaror *amaro* ponerent et hoc modo, ſe feliciſſime poetam emendaſſe, crederent. Higinus tamen, haud ignobilis criticus, de quo ſupra verba feci, ineptias has criticorum probe perſpexit, quum ipſi codex fide dignus Virgilii, qui ex domo atque familia poetæ huius erat, in manus incideret, vt A. GELLIVS *m*) memoriæ prodidit, qui alio loco de ineptis his emendatoribus hæc profert *n*): *in libro vetere M. Cato, qui inſcribitur:* contra Tiberium exſulem, *ſcriptum quidem ſic erat:* quid ſi vadimonium capite obuoluto ſtitiſſes? *Recte ille* ſtitiſſes *ſcripſit? ſed falſi et audaces emendatores, e ſcripto, per libros* ſtetiſſes *fecerunt, tamquam* ſtitiſſes *vanum et nihili verbum eſſet.* Nonnulli critici tam audaces quidem non erant, vt ſtatim ea diſſecarent ac in aliam

l) vid. AVLVS GELLIVS *libr. 2. noct. Att. cap. 6.*

m) *libr. 1. noct. Att. cap. 21.*

n) *libr. 11. noct. Att. cap. 14.*

aliam formam transferrent, quæ ſupra eorum intelligendi vires adſcendebant; attamen falſis ſuis interpretationibus atque explicationibus miſere detorſerunt verba ſcriptorum ac iis ſæpe maxime abſonas dederunt ſignificationes. Vnde factum eſt, vt in gloſſariis, quæ ex veterum criticorum ac grammaticorum gloſſis conficiebantur, haud raro vocibus ſignificationes adtributæ ſunt, quæ nullum et ne minimum quidem fundamentum in antiquis ingeniorum monimentis habent, vt ex HESYCHIO et SVIDA paſſim adparet. Ipſæ criticorum vetuſtiorum gloſſæ et commentarii poſtea ab aliis, quos ſequens ætas tulit, criticis corrupti ſunt, vt etiam nunc ex iis ſcholiis, quæ ad poſteritatem peruenerunt, luculenter monſtrari poteſt.

XXVI

QVEMADMODVM autem veteres critici libros adulterinos ex germanorum ordine exemerunt: gloſſemata abſtulerunt corruptaque loca emendarunt; ſic quoque officium eorum poſtulauit, vt iudicium ac ſententiam ſuam dicerent de quibuscunque ſcriptoribus: de ætate, ſcribendi ratione, virtutibus ac vitiis, dictionis caſtitate deque aliis rebus, quæ ad campum eorum pertinebant. Inquirebant quoque non ſolum in ipſa ſcriptorum verba atque

ex iis eorumque conditione et vſu iudicium ſuum formabant; ſed et in ipſas res, ab auctoribus traditas, num veritati reſponderent; nec ne, et quanta fides huic; vel illi ſcriptori habenda ſit. Superuacuum foret, id multis demonſtrare exemplis, quum nemo, qui vel obiter ATHENAEVM, DIOG. LAERTIVM, A. GELLIVM et inprimis QVINCTILIANVM inſpexit, hac de re dubitare poterit. Libris emendatis nomen ſuum ſubſcribebant ac per id multam auctoritatem ac dignitatem iſtis conciliabant, quum codices, a celebri critico emendati, in maxima exiſtimatione eſſent, iisque ſummum pretium imponeretur. IAC. SIRMONDVS teſtatur, in variis Liuii codicibus hæc legi verba: *Nicomachus Dexter V. C. emendaui ad exemplum parentis mei Clementiani ab vrbe condita. Victorianus V. C. emendabam domnis Symmachis*, quippe in quorum gratiam hic Nicomachus, V. C. præfectus vrbis apud Hennam, vrbem Siciliæ, Liuium emendandum in ſe ſuſceperat, vt alius eiusdem ſcriptoris codex oſtendit, qui hæc præ ſe fert verba: *emendaui Nicomachus Hauianus V. C. præfectus vrbi apud Hennam ab vrbe condita.* Mauortius, qui conſulari regimini præfuit eo anno, quo Iuſtinianus a Iuſtino auguſtus declaratus eſt, Horatium emendauit, id quod itidem ex poetæ huius exemplis manu ſcriptis patet, in quibus hæc verba leguntur:

guntur: *Vettius Agorius Baſilius Mauortius V. C. et inluſtris ex comite domeſticorum ex conſ. ordinario legi et, vt potui, emendaui. Conferente mihi magiſtro Felice, oratore vrbis Romæ*, vt RICH. BENTLEIVS *n*) obſeruat. Sic quoque codices Virgilii, inprimis Mediceus, quem benignior fortuna ad poſteros transmiſit, Turcii Rufi Aproniani Aſterii, cuius alibi feci mentionem, emendatoris nomen præ ſe ferunt, vt NIC. HEINSIVS *o*) et ex eo HENR. VALESIVS *p*) obſeruant, cui præ ceteris HENR. NORISIVS *q*) et PETR. BVRMANNVS *r*) adiungendi ſunt, quorum ille fuſe de hoc critico eiusque emendato codice diſputat; hic vero varia de Cæſaris aliorumque ſcriptorum vetuſtis codicibus, emendatorum nomen præ ſe ferentibus, exponit, atque exemplis confirmat, criticos nomini ſuo et conſulum nomina addidiſſe, vt hæc verba, quæ apud eumdem et FRANCISCVM IVRETVM *s*) leguntur, demonſtrant:

 Flauius

n) *præf. ad Horatium fol.* 2. cum qua conferenda ſunt, quæ hac de re LINDENBROGIVS *not. ad Terent.* p. 596. et 597. HENR. BRENCMANNVS *hiſt. pand. libr.* II. *cap.* 6. p. 161. et C. H. TROTZIVS *not. ad Hugonem de prima ſcrib. orig.* p. 271. obſeruant.

o) *epiſtola*, quæ extat *tom.* V. *ſyllog. epiſt.* BVRMANNI p. 193. ſq.

p) de *critic.* p. 180.

q) *cenotaph. Piſan diſſ.* IIII. §. I. *tom.* III. *operum* p. 675.

r) *not. ad Valeſii indicat. locum.*

s) *not. ad Symmach. libr.* X. *epiſt.* 17.

Flauius Theodorus D. V. memorialis ſacri ſcrinii epiſtolarum et adiutor V. M. quaeſtoris ſacri palatii, ſcripſi manu mea in vrbe Roma Conſtantinopolitana III. *Kal. iun. Mauortio V. C. Coſ. Iuſtino et Iuſtiniano impp.* Obſeruandum quoque eſt, criticos ſæpe hoc, emendandi auctores, munus in gratiam filiorum, amicorum et cognatorum ſuſcepiſſe, vt VALESIVS *t*) Nicomachi et Turcii Rufi Aproniani exemplis comprobat. Addas præter LINDENBROGIVM, IVRETVM, SIRMONDVM, iam laudatos, PETR. BVRMANNVM *u*), H. BRENCMANNVM *x*) et C. H. TROTZIVM *y*), qui de hoc argumento erudite commentatur.

t) *loco adducto.*

u) *not. ad Valeſium de crit.* p. 180.

x) *hiſt. pand. libr.* II. *cap.* 6 p. 161.

y) *not ad Hugon. de pr. ſcrib. orig.* p. 271.

CAPVT

CAPVT TERTIVM

DE

VETERVM CRITICORVM

ERVDITIONE GRAMMATICA

ΣΥΝΟΨΙΣ.

INDICATA *dicendorum ſumma,* I *obſeruatur, criticos romanos grammaticis diſciplinis operam dediſſe:* II *eos haud raro tuliſſe grammaticorum nomen eorumque artem pro parte grammaticae putatam fuiſſe* III *Quare hoc factum ſit, oſtenditur tam ex diſciplinae huius natura;* IIII *quam ex ipſis eius, quae ſubiit, fatis, nec ſolum traditur, cauſſam rei huius ex eo potiſſimum deducendam eſſe, quod grammatici criticam; critici vero grammaticam profeſſi ſint artem;* V *ſed etiam de variis, artem grammaticam diſpertiendi, modis diſſeritur.* VI *His praemiſſis, ipſa veterum criticorum officia grammatica percenſentur, ita vt monſtretur,*

I. *criticos veteres ſcriptores illuſtraſſe:* VII, VIII

II. *errores, in quos veteres ſcriptores inciderunt, notaſſe:* VIIII

III. *codices interpunxiſſe:* X. XI. XII

IIII. *loca in antiquis poetis ſibi contradicentia conciliaſſe:* XIII

V. *effata poetarum, ex aliis vetuſtioribus poetis ſumta, indicaſſe:* XIII

VI *bibliothecas in ordinem redegiſſe:* XIIII

VII *ſcholas habuiſſe:* XIIII

VIII. *carminum recitationibus praefuiſſe et*

VIIII. *veteres graecos ſcriptores in latinam linguam tranſtuliſſe.*

I

Qvae in præſenti de arte critica veterum romanorum enarrare, animus eſt, ſpectant ad officia ac munera, priſcis, quos Roma tulit ac fouit, criticis commiſſa ac demandata. Ex horum adcurata commemoratione optime intelligi poteſt, quæ ratio quæue facies diſciplinæ huius antiquo æuo fuerit: qui fines et limites eius exſtiterint: quam inſigniter illa priſcorum litteratorum iudicum cohors de optimis tam Græciæ; quam Latii ſcriptoribus meruerit et quantum illorum debeamus curæ, qua de conſeruatione ac reſtitutione præſtantisſimorum ingenii monimentorum tam egregie cautum fuit. Quod argumentum vti ſua ſe iucunditate atque vtilitate commendat; ita haud vanam operam me facturum eſſe, putaui, vbi in eo elaborarem, vt omnia, quæ non ſolum ad hiſtoriam; ſed etiam indolem artis huius apud veteres Romanos pertinent, rite percenſerentur ac commemorarentur. Duo iam capita priora de hoc argumento exponunt, in quorum alterô de ortu et progreſſu artis criticæ; in altero vero de ipſa hac diſciplina eiusque forma atque indole apud veteres Romanos diſputaui. *Primum* præcipue mon-

monſtrauit, quæ initia: quæ incrementa: quæ fata et quos optatos ſucceſſus ars hæc Romæ habuerit: a quibus exculta, ornata et in maiorem ſplendoris locum euecta fuerit: qui exſtiterint principes artis huius cultores: quæ præſtantia ingenia critica omni fere tempore Roma aluerit ac fouerit et quæ alia huius ſunt generis. *Secundum de arte critica veterum Romanorum*, inſcriptum fuit, et de ipſa diſciplinæ huius ratione, et quam habuerit, inter ceteras Latii muſas, facie ac forma deque veterum criticorum præcipuis officiis ac muneribus expoſuit. Proinde in iſto monſtratum eſt, criticos romanos de græcis pariter ac latinis ſcriptoribus optime meruiſſe: libros germanos ab adulterinis ſeparaſſe: corrupta emendaſſe; lacunas expleuiſſe: male affecta et dilacerata ſanaſſe: deprauata correxiſſe: gloſſemata ſuſtuliſſe et, vt paucis multa complectar, in eam operam ſuam poſuiſſe, vt veteres ſcriptores ad priſtinam ſuam elegantiam atque integritatem revocarentur. Hæc vti præcipua exſtiterunt munera, in quibus critici occupati fuerunt; ita et aliis quoque eos ſatisfeciſſe, in antiquis ingeniorum monimentis deprehendimus. Patet ex his luculenter, criticos veteres ſcriptores ex hiſtoriæ, antiquitatum aliarumque diſciplinarum fontibus illuſtraſſe: obſeruationes grammaticas addidiſſe: ad codices diſtinctionum ſigna ſcripſiſſe: loca ſibi contradicentia conciliaſſe;

veterum ſcriptorum libros in ordinem redegiſſe, habita vel ætatis; vel argumenti ratione: græca in latinam linguam tranſtuliſſe: bibliothecis, ſcholis ac recitationibus poetarum præfectos fuiſſe, et quæ alia horum officiorum fuerunt genera. Ac de his et aliis, quæ in hunc cenſum cadunt, veterum criticorum muneribus iam quædam commentari, mecum conſtitui *a*).

II SED

a) vbi ad ipſum *critici* nomen animum aduertimus, id græcam habet originem atque a voce *κρίνειν* deriuari debet, quæ non ſolum *iudicare;* ſed etiam, vt HENR. STEPHANVS *de critic. græc et latin.* p. 5. obſeruat, *diſcernere* in antiquis ſcriptoribus ſignificat. Nec ſine ratione ita adpellati ſunt, qui in interpretandis atque emendandis auctoribus ſtudia ſua ponere ſolebant, quoniam in omnibus officiis, quibus iſti fungebantur, iudicandi et diſcernendi virtutem prodere debebant. Dubium atque incertum eſt, quo tempore *critici* nomen in vſum introductum ſit, et quis primus ex priſcis criticis ſibi hoc vindicauerit. Nonnulli, et nominatim DAN. HEINSIVS, de *veræ crit. apud veteres ortu progreſſ. vſuque* p. 55. ad Ariſtotelis æuum id referre volunt, atque exiſtimant, philoſopho huic adpellationem iſtam primum datam fuiſſe; id vero nullo modo comprobari poteſt. Ariſtoteles iure criticis eſt adnumerandus, quippe cui, vt *diatrib. de ortu et progreſſu art. crit.* §. VI. p. 16. indicaui, haud parum ars critica debet; inde vero colligi non poteſt, ante eum vocem hanc incognitam atque inuſitatam fuiſſe. Etenim ante Ariſtotelem nomen *critici* exſtitiſſe, AESCHINIS *Socratici effatum dial.* III. *de morte* p. 94. ed. CLERICI teſtatur. Hoc certe extra omnem dubitationem eſt poſitum, artem, veterum ſcripta emendandi ac diiudicandi,

vocibus

II

SED iure quærere quis poſſet: quomodo eiusmodi iam enarrata munera, criticis vindicari posſint, quum ea ad grammaticorum campum olim pertinuerint, et ſatis notum ſit, criticum in emendatione ac reſtitutione; grammaticum autem, *ſtricte* ita adpella-

vocibus *criticæ* et *critici* antiquiorem eſſe, quamuis haud adcurate definiri posſit, quis honorificum iſtud nomen primus geſſerit. Veteres ipſi hac in re diſſentiunt, quemadmodum ex CLEMENTE *Alexandrino libr.* I *ſtromat. cap.* XVI. p. 365 edit. POTTERI conſtat. Quos græci κριτικὰς: hos romani *iudices* adpellarunt, qui loquendi modus ex certaminibus originem ſuam traxiſſe, videtur, vbi ii, qui ludos adparabant: victoribus propoſita præmia tribuebant controuerſiasque componebant, *iudicum* habuerunt nomen. Eadem fuit ratio ludorum ac certaminum poetarum, in quibus iudices ex doctisſimis grammaticis ac criticis legebantur, vt recitantium vires experirentur: eorum virtutes pariter ac vitia animaduerterent et de eorum adquiſita dicendi facultate ſententiam ferrent, vt ex SVETONIO *vit. Neron.* c. XII. §. 10. p. 748 ed. PITISCI: *vit. Claud.* c. XI. §. 7. p. 651. A. GELLIO *libr.* X. *noct. Attic. c.* 18. PLVTARCHO *vit. Cimonis tom.* I. *oper.* p. 483 et HESYCHIO conſtat. QVINCTILIANVS *libr.* I. *inſt. orat. cap.* X. criticos *poetarum iudices* adpellat, cum quo ea comparanda ſunt, quæ vetus HORATII *ſcholiaſtes* ad *libr.* I. eius *ſermon. ecl.* 10 *v.* 38. p. 438. ed. BENTLEII obſeruat. AVGVSTINVS *lib.* IIII. *de muſica c.* I. *tom.* I. *oper.* p. 357. *ed. Benedictin. Antuerp.* pari ratione de criticis, tanquam *poetarum iudicibus*, loquitur; EVSTATHIVS vero *comm. ad Iliad. Homer.* ῥαψ. β. p. 596 ed. POLITI illos *criticorum* nomen habuiſſe, refert, qui facultate prædi-

adpellatum, in explicatione veterum auctorum verſatum eſſe. Hoc equidem non nego; ſed, vti ſupra iam monſtratum eſt *b*), libere adfirmo, plurimam recenſitorum horum munerum partem ad grammaticos ſpectaſſe; quoniam autem veteres critici intra fines ſuos ſe continere, raro ſolebant; ſed in grammaticorum fundum ſeſe ſæpe demittebant, ita vt grammaticorum et criticorum perſonas ſimul induerent, neceſſe eſt, vt de his quoque veterum criticorum grammaticis muneribus quædam in medium adferantur. Antequam vero id fiat, res ipſa poſtulare videtur,

diti fuerint, *κατὰ τὴν γραμματικὴν παράδοσιν. κρίνειν τὰ ποιήματα, ex grammatices præceptis poemata iudicandi*, non quod ſola poetarum carmina; nec quoque eos ſcriptores, qui ſoluta ſcripſerunt oratione, diiudicarent, cui Aſinii Pollionis, Senecæ, Quinctiliani, A. Gellii aliorumque præclara exempla refragantur; ſed quod critici ſeſe in poetis magis; quam oratoribus diiudicandis, occupabant, et in illis melius; quam in his, criticum ſuum ingenium oſtendere ſe poſſe, arbitrabantur ſibique adhæc perſuadebant, veram ſapientiam, prudentiam atque in dicendo tam vim; quam ſuauitatem ex nullis fontibus melius ac purius; quam ex poetis vetuſtisſimis hauriendam eſſe. Adpellabantur quoque critici *cenſores*, quoniam de aliorum ſcriptis ſententiam dixerunt et cenſum quaſi ſcriptorum habuerunt, quo de adulterinis ac germanis libris iudicium ferre ſolebant, qua de re HORATIVM *libr.* II. *epiſt.* 2. *v.* 109. p. 649. et *art. poetic.* v. 73. p. 682. ed. BENTLEII teſtem habemus.

b) *cap. prim. de art. crit. vet. Rom.* §. 1.

tur, vt diſcrimen, quod veteres inter criticum et grammaticum eſſe voluerunt: itemque vtriusque eorum diſciplinæ arctum inter ſe vinculum, et, qua ratione critici grammaticorum claſsi adſcripti fuerint, rite oſtendatur.

III

IPSI critici apud veteres *grammaticorum* tulerunt nomen, id quod euidens eſt argumentum atque indicium, inter eos atque grammaticos quoddam interceſsiſſe vinculum, ita, vt critici horum ordini adſcripti fuerint, et in eorum coetu ſingularem conſtituerint claſſem *c*). Nemo, harum rerum peritus, negabit, Marcum Antonium Gniphonem, Atteium philologum, Valerium Catonem, Curtium Niciam, Quintum Cæcilium Epirotam, Lucium Craſsitium, Caium Iulium Hyginum, Valerium Probum criticos fuiſſe, quum ſatis notum eſt, eos artem hanc et intellexiſſe rite; et profeſſos eſſe feliciter; hi vero omnes a SVETONIO grammaticorum ordini adnumerantur. Crates Mallotes, inſignis ille ac celebris criticus, qui romanis primus aditum ad artem hanc patefecit, a DIOGENE LAERTIO *d*) diſerte *grammaticus* vocatur: γεγόνασι, inquit, Κράτητες δέκα· ἕβδομος

c) vid. PETR. BVRMANNVM *not. ad Valeſium de critic.* p. 146.

d) *vit. philoſoph. lib.* IIII. *ſegm.* 23. p. 241. ed. MENAGII.

μος Μαλώτης, γραμματικός, *decem fuerunt Cratetes, ſeptimus Mallotes grammaticus*. Idem et STRABO e) adfirmat, quando de vrbe Mallo ita loquitur: ἐντεῦθεν ἦν Κράτης, ὁ γραμματικὸς, οὗ φασι γενέσθαι μαθητὴν Παναίτιον, *ex eo Crates grammaticus fuit, cuius diſcipulum Panætium fuiſſe, dicunt.* SEXTVS *Empiricus f*) pari modo artem grammaticam Cratetis Mallotis ſtudio perpolitam fuiſſe, tradit; eo vero ſatis ſignificat, criticos vti *grammaticorum*; ſic et ipſam illorum artem *grammatices* habuiſſe nomen. Vnde et TERTVLLIANVS *g*) Demetrium Phalereum *grammaticum* dicit *probatisſimum* et GELLIVS *h*) de Valerio Probo idem fere pronuntiat; quamuis vterque nomen ac dignitatem critici præ multis aliis rite tueatur. Sed, quid plura diſputo? DIO *Chryſoſtomus i*) vnicus ac locuples rei huius teſtis eſſe poteſt, quum conceptis refert verbis, eos *grammaticos* eſſe nuncupatos, qui antea *criticorum* nomine inſigniti fuiſſent. Quando enim eos commemorat, qui Homeri carmina laudibus ornarunt ac commentariis illuſtrarunt, obſeruat, hoc inter alios et ſuſcepiſſe Ἀρίσταρχον καὶ Κράτητα, καὶ ἑτέρους πλείους τῶν ὕστερον γραμματικῶν κληθέν-

e) *libr* XIIII. *geograph.* p. 993. ed. ALMELOVEENII

f) *aduerſ. mathemat. libr.* 1. *cap.* 2.

g) *apologet. cap.* XVIII. p. 181. ed. HAVERCAMPI.

h) *libr.* 1. *noct. Attic cap.* 15. p. 89. ed. GRONOVII.

i) *orat.* LIII. p. 553.

κληθέντων πρότερον δὲ κριτικῶν, *Ariſtarchum et Cratetem atque alios plures, qui tandem grammatici ſunt adpellati; antea autem vocabantur critici.* Adde his ſequentia CLEMENTIS *alexandrini k)* verba, quæ rem, per ſe ſatis certam, magis confirmant: Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος, πρῶτος τοῦ κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα, καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη. Ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη, τὸν Κυρηναῖον, φασιν, *Apollodorus autem Cumanus primus critici nomen ſuſcepit et adpellatus eſt grammaticus. Nonnulli autem dicunt Eratoſthenem Cyrenæum.* Quamuis effata hæc abunde doceant, criticos *grammaticorum* nomen a veteribus accepiſſe; inde tamen non colligi debet, vocabula *grammatici* et *critici* eamdem in antiquis ingeniorum monimentis poſſidere ſignificationem eaque pro vocibus eiusdem poteſtatis ac ſententiæ eſſe putanda. Longo interuallo critici a grammaticis, *ſtricte* ita adpellatis, ſeſe tam apud romanos; quam apud græcos disiunxerunt, cuius diſcriminis itidem DIO *Chryſoſtomus l)* teſtis eſt, quando ſupra memoratis de Ariſtarcho et Cratete verbis addit, Homerum ab ipſo Ariſtotele illuſtratum atque explicatum eſſe, ἀφ᾽ οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, *a quo, aiunt, initium coepiſſe artem criticam et grammaticam.* Ad hæc verba recte obſeruat GERARD. IO. VOSSIVS *m)*

k) libr. 1. ſtrommat. cap. 16. p. 365. ed. POTTERI.

l) loco indicato.

SIVS *m*), non ſine cauſſa DIONEM *Chryſoſtomum* artem grammaticam a critica ſeparaſſe ac diſtinxiſſe, quum *non* de *nihilo eſt*, inquit, *quod neutiquam contentus dicere criticam, addit et grammaticam. Nam etſi critici poſtea acceperint nomen grammaticorum; natura tamen latius patet grammatici adpellatio. Atqui Ariſtoteles non tantum poetarum mentem exponit, quales critici dicebantur; ſed ea etiam docet, quæ ad μέθοδον, ſiue artis grammaticæ naturam pertinent.*

IIII

EX memoratis teſtimoniis facili negotio cognoſci poteſt, criticis ab antiquis ſcriptoribus *grammaticorum* nomen adtributum fuisſe. Et optimo quidem iure hoc factum eſſe, quilibet fatebitur, quicunque reputabit, criticos quidem a grammaticis diuerſos fuiſſe; in illorum tamen coetu eos ſingularem conſtituiſſe claſſem eorumque artem ab antiquis ad grammaticas diſciplinas relatam fuiſſe. His a me dictis varia veterum ſcriptorum teſtimonia fidem faciunt. Sic CICERO *n*) in *grammaticis*, inquit, *poetarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam ſonus*, vbi per *poetarum pertractationem* artem criticam orator intelligit, quod neminem negaturum fore, arbitror, quicumque in memoriam

m) de *arte grammat. libr.* 1. *cap.* 3. p. 4. *n*) *libr.* 1. *de orator. cap.* 3.

riam reuocabit, criticos *poetarum interpretes*, ipſamque eorum, cui ſtudia ſua addicebant, artem *poetarum enarrationem* adpellatam fuiſſe, vt luce clarius ex QVINCTILIANO o) conſtat. Quis vero non videt, iſtam in hoc effato grammaticis adnumerari diſciplinis? Cum CICERONE conſpirat SENECA, quando non ſolum ita ſcribit p): *grammaticus circa curam ſermonis verſatur et, ſi latius euagari vult, circa hiſtorias. Iam, vt longisſime fines ſuos proferat, circa carmina;* ſed etiam alio loco viam monſtrat, quam grammaticus in interpretatione poetarum inire debeat; hoc vero ita tradit, vt quilibet haud difficulter intelligat, loqui philoſophum de iis grammaticis, qui alias *criticorum* tulerunt nomen. Senecæ QVINCTILIANVS q) adnumerandus eſt, qui pari modo haud obſcure ſignificat, critices diſciplinam ad grammaticorum pertinere campum, his verbis: *grammatice, quam in latinum transferentes, litteraturam vocauerunt, tenuis a fonte, adſumtis poetarum hiſtoricorumque viribus, pleno iam ſatis alueo fluit.* Sic et ex hoc fragmento CORNELII NEPOTIS, quod SVETONIVS nobis ſeruauit, itidem comprobari poteſt, artem criticam locum inter grammaticas diſciplinas ſibi vindicare: *Cornelius Nepos*, inquit, *in libello r)*

o) *libr.* I. *inſt. orat. cap.* 4.

p) *epiſt.* XCVIII. *tom.* II. *operum*, p. 382.

q) *libr.* II. *inſtit. orator. cap.* I. p. 127. ed. BVRMANNI.

libello r), quo diſtinguit litteratum ab erudito: littera-

r) IO. WOWERIVS *tr. de polymath. cap.* XVI. p. 160. exiſtimat, CORNELIVM *Nepotem* in libro hoc de præſtantia artis criticæ præ reliquis grammaticis partibus diſſeruiſſe idemque argumentum perſequutum eſſe, quod GALENVS, qui ingenii fetum excluſit inſcriptum: εἰ δύναταί τις εἶναι κριτικὸς καὶ γραμματικός. Sed, vt omnes rationes docent, Nepos de differentia inter philologum et grammaticum in hac commentatione diſputauit; GALENVS vero diſcrimen inter grammaticum et criticum monſtraſſe, videtur. HENR. STEPHANVS de *critic vet.* p. 238. in memorato SVETONII de *illuſtr. grammat. cap.* IIII. loco poſt verba: *poetarum interpretes,* inſerit vocem *nam*, quæ emendatio, ſolo Stephani ingenio innitens, probabilitatis ſpeciem non habet, et verborum ſenſum magis obſcurat; quam illuſtrat. Maiorem auctoritatem præ ſe habet *codex Mediolanenſis*, cuius CASAVBONVS *not. ad hunc locum* meminit, vbi verba: *eosdem litteratores vocitatos* cum conſequentibus apte ita coniuncta ſunt: *eosdem litteratores vocitatos, Meſſala Coruinus in quadam epiſtola oſtendit, non eſſe ſibi dicens rem cum Furio Bibaculo,* cet. De inſcriptione libri Corneliani quæritur: num illa eo modo comparata fuerit, quo Suetonius eam exhibet; an vero ſecus? Inſcriptio ſine dubio ita fuit: *liber, quo diſtinguitur litteratus ab erudito.* Quod vt ſtatuam, mouet me PLVTARCHVS, qui pari ratione librum quemdam ita nominauit: πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου, TELEPHVS vero ſingulari commentatione monſtrauit: πόσα χρὴ εἰδέναι γραμματικόν, cui GALENI ſupra memoratum opus: εἰ δύναταί τις εἶναι κριτικὸς καὶ γραμματικός, adiungendum eſt. Proinde ANDR. SCHOTTVS de emendando hoc SVETONII loco ſine cauſſa cogitauit, quem et immerito ſequutus eſt ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Sueton.* p. 757.

litteratos vulgo quidem adpellari ait eos, qui aliquid diligenter et acute ſcienterque poſſint aut dicere; aut ſcribere: ceterum proprie ſic adpellandos poetarum interpretes, qui a Græcis γραμματικοὶ nominentur. Quæ verba vt rite intelligantur, obſeruandum eſt, eos, qui res ipſas, in auctoribus traditas, ex hiſtoria, antiquitatibus, geographia aliisque diſciplinis illuſtrarunt, *philologorum*, id eſt, eruditorum; illos vero, qui in verbis auctorum ita verſati fuere, vt de eorum vſu, origine, indole, caſtitate cet. diſputarent, *litteratorum s)*; ſiue, vt græci vocem

s) id tamen obſeruandum eſt, diſcrimen inter *litteratos* et *litteratores* a Romanis factum fuiſſe. Vti enim apud græcos grammatici a grammatiſtis; ſic apudLatinos litterati a litteratoribus differebant. Quos Græci *grammaticos*, hos Romani *litteratos*; quos autem illi *grammatiſtas*, eos hi *litteratores* vocarunt. Abunde hoc confirmat SVETONIVS de *illuſtrib. grammat. cap* IIII. §. 4. *ſunt, qui litteratum*, inquit, *a litteratore diſtinguant, vt græci grammaticum a grammatiſta, et illum quidem abſolute: hunc mediocriter doctum exiſtiment.* Idem ex his A. GELLII verbis *libr.* XVI. *noctium Attic. cap.* 6. patet: *redeuntesGræciaBrundiſium nauem aduertimus. Ibi quispiam linguæ Latinæ litterator, Roma a Brundiſiis arcesſitus, experiundum ſeſe vulgo dabat. Imus ad eum nos quoque oblectamenti gratia. Legebat barbare inſciteque Virgilii ſeptimum*, ex quo loco ſimul patet, imperitos atque indoctos grammatiſtas ſæpe ſe iactaſſe, poetas interpretari; quum tamen vix legere ac ſcribere posſent. Litteratores litteratis antiquiores erant; poſtquam vero ars grammatica in altius euehebatur ac primi grammatici, qui nihil;

vocem hanc efferunt, *grammaticorum* nomen tuliſſe. Proinde recte Cornelius Nepos *poetarum interpretes*; ſiue criticos, grammaticorum cohorti adnumerandos eſſe, cenſuit, quatenus videlicet illorum cura non in rebus ipſis; ſed in vocibus auctorum poſita eſt, quippe quas diiudicant, corrigunt, emendant, a gloſſematibus purgant et in priſtinam integritatem reſtituunt.

V.

EX ipſa igitur artis criticae natura, pro qua in verbis; non autem in rebus ipſis, ab auctore traditis, verſatur, luculenter patet,

hil; niſi litteratores erant, etiam ad poetas legendos atque interpretandos ſe conferebant, duae quaſi claſſes grammaticorum conſtituebantur. Alii prima linguarum fundamenta docebant; alii vero poetis lucem accendebant eosque illuſtrabant. Illi tum *grammatiſtae* et *litteratores*; hi vero *grammatici* et *litterati* dicti ſunt. Ex his intelligimus verba SVETONII *loco memorato*: grammaticos *litteratores vocitatos*, *Meſſala Coruinus oſtendit*, et MARTIANI CAPELLAE *libr.* III. *itaque aſſertor noſtri nunc litteratus*, *dicitur*: *litterator antea vocabatur*, quoniam nimirum ars *grammatiſtica* et *litteratorum* ſcientia arte grammatices, qua veteres poetae illuſtrantur atque explicantur, vetuſtior erat, et haec ex illa ortum ſuum ducebat. Conf. ANDR. SCHOTTVM *obſ. human.* *libr.* III. *cap.* 14. p. 143. IO. WOWERIVM *polymath.* *cap.* IIII. p. 28. CONRAD. BVDDE *diſſ.* de *ſtudiis liberal. vrb. Rom.* p. 18. et SAM. PITISCVM *not. ad Sueton.* p. 1067.

patet, quare illam grammaticis diſciplinis adnumerauerint veteres. Praeterea ex ipſis diſciplinæ huius, quæ ſubiit, ſatis aliud argumentum peti poteſt, ex quo non ſolum intelligitur, cur locum ſibi in grammatices ſtudiis vindicauerit; ſed etiam, vnde factum ſit, vt critici hi etiam grammaticorum officiis perfungi voluerint. Eo tempore, quo ars critica ex incunabulis ſuis prodire et ob præſtantiam, qua ſeſe commendabat, præclara Græciæ ingenia ad culturam inuitare atque allicere cœpit, nullum cum arte critica habuit commercium; ſed eius cultores in eo ſolum elaborarunt, vt lacera atque a rhapſodis diſciſſa Homeri carmina reſarcirent *t*) eaque ad priſtinam ſanitatem reuocarent *u*). Vti vero ex iſta carminum Homeri collectione atque emendatione prima artis criticæ initia repetenda eſſe, videntur; ita illi, qui ſequenti æuo his litteris operam dabant, quum probe animaduerterent, ſe multo optatiores facturos eſſe progreſſus, vbi etiam ex inveſtigatione veræ verborum ſententiæ germanas lectiones a falſis ſepararent; id vero ſine grammatices ſubſidiis nullo modo fieri poſſe, huic quoque ſtudiorum parti ſeſe addicere eamque perpo-

 lire

t) vide, quæ hac de re dixi *diſſ. de ortu et progreſſ. art. crit.* §. V. p. 12.

u) conf. *diſſertationem* memoratam p. 14. et 15.

lire coeperunt *x*). Multi porro grammatici,

x) ex eo cognoſcimus, quare veteres et nominatim DIO *Chryſoſtomus orat.* LIII. et THEODOSIVS *grammaticus ſcholiis ad Dionyſium Thracem anecdot.* apud PETR. BVRMANNVM *not. ad Valeſ.* p. 146. dicant, eos poſtea *grammaticos* dictos eſſe, qui ante *critici* adpellati fuerint, quoniam videlicet critici grammatices quoque diſciplinis ſeſe conſecrare coeperunt. HENR. VALESIVS de *critic. libr.* I. *cap.* I. p. 144. non rite locum hunc interpretatur, quando tradit, antiquiſſimo tempore ludimagiſtros *criticorum* nomen habuiſſe, id quod nunquam probabitur. Prouocat quidem ad AESCHINEM *Socraticum dial.* III. *de morte* p. 94. edit. CLERICI; ibi vero non grammatiſtarum; ſed eorum, qui veterum ingeniorum monimenta ſunt interpretati, fit mentio. Praeterea Aeſchines loquitur de iis ſtudiis, quibus adoleſcentes, decurſo primo litterarum ſtadio, a ſeptem annorum pueris conficiendo, operam dare ſolebant; his vero non prima elementa; ſed altioris faſtigii ſtudia tradebantur, id quod ex geometricis diſciplinis, quarum hic fit mentio, et quae cum arte critica coniunguntur, abunde intelligitur. Cebetis effatum, quo itidem teſtimonio vtitur, nihil probat, quum ſupra oſtendi, totum hunc locum corruptum eſſe, et, ſi quoque eo vitio non laboraret; non video tamen, quomodo ex iſto confici poſſit, ludimagiſtros *criticorum* tuliſſe nomen. Nec PLVTARCHI locus, ibidem memoratus, ad confirmandam VALESII ſententiam valet, quum et inter ludimagiſtros quidam exſtare potuerunt, qui, praeter prima litterarum fundamenta, facultatem, carmina emendandi, ſibi compararunt; inde vero haud ſequitur, ludimagiſtros *criticorum* vſos eſſe nomine. Ad haec Alcibiades in memorato PLVTARCHI effato miratur, criticum pueris prima docere elementa, quod euidens eſt documentum, rem fuiſſe inſolitam, et criticos primas litteras pueris haud tradidiſſe.

tici, qui vsque adhuc ſoli *grammatiſtæ*, id eſt, grammatici *technici y)* fuerant ac primas docuerant litteras, ad maiora conficienda ſpatia adſpirabant, atque ad poetarum lectionem et interpretationem ſeſe vna cum criticis conferebant. Per id artis grammaticæ fines ſatis amplificabantur. Accedebat enim ad artem hanc, quæ in præceptis, ad perdiſcendam linguam neceſſariis, et in docendis primis litterarum fundamentis adhuc poſita fuerat, noua eaque nobilior pars, *exegetica*; ſiue *hiſtorica*, quæ, de interpretatione veterum auctorum ac vero legitimoque vſu atque indole verborum totiusque ſermonis præcipiebat. Atque ad hanc non ſolum critici; ſed etiam alii, qui criticæ ſeſe non conſecrauerant, animum addicebant. Proinde ars grammatica in duas quaſi diuidebatur partes, quarum altera rudis et popularis; altera vero politior ac perfectior exſtitit. Illa dabat præcepta ad addiſcendam linguam pertinentia: hæc veterum ſcriptorum monimentis facem præferebat eaque illuſtrabat: illa *litteratio* z), *prima elementa* a), et, qui iſtam profitebatur:

 littera-

y) conf. *diſſertationem de ortu et progreſſu artis critic. apud vet. Romanos*, §. X. p. 26.

z) vid. AVGVSTINVS *libr.* II. *de ordine cap.* 12. *tom.* I. *oper.* p. 257. ed. Bened.

a) teſte IVL. CAPITOLINO *vit. M. Ant. philoſ. cap.* II. et HORATIO *libr.* I. *ſerm. ecl.* I. *v.* 26.

litterator b), *litterarius c*), *litteriò d*), *primus magiſter e*), *ludimagiſter f*), *magiſter ad prima elementa g*); hæc vero proprio quaſi nomine *grammatica h*) et huic ſtudiorum generi

b) conf. SVETONIVM de *illuſtr. grammat. cap.* IIII. et SENECAM *epiſt.* LXXXIII

c) vid. TACITVM *libr.* XV. *annal. cap.* 3.

d) lege AMMIANVM MARCELLINVM *libr.* XVII. *cap.* 22.

e) apud AVGVSTINVM *libr.* I. *confesſion. cap.* 13. *tom.* I. *operum*, p. 54.

f) auctoribus CICERONE *libr.* I. *de nat. deor. cap.* 26. et MARTIALI *libr.* X. *epigr.* 6.

g) vid. CAPITOLINVM *vit. M. Anton. philoſ. tom.* I. *ſcriptor. hiſt. Aug.* p. 290. et TERTVLLIANVM *de pall. cap.* V. et ad hunc locum CLAVD. SALMASIVM p. 464.

h) plura eiusmodi cognomina, vtrique grammaticorum claſſi data, commemorant: IO. WOWERIVS *polymath. cap.* IIII. p. 35. GER. IO. VOSSIVS *libr.* I. *de art. grammat. cap.* 3. p. 2. CONR. BVDDE *diatr. de ſtudiis liberal. apud. vet. rom.* p. 18. et 19. et vener. pater *hiſt. crit. lat. lingu.* p. 242. Sic et CAPITOLINVS *vit. Pertinac. cap.* 1. *tom.* I. *ſcript. hiſt. aug.* p. 530. prima iſta litterarum fundamenta, in quibus grammaticus technicus occupatur, *litteras elementarias* adpellat. Eiusmodi magiſtri, ad formandam pubem adhibiti, et artem numerandi pueros docebant. Ex eo conſtat, quare grammatiſtæ *calculones* et *calculatores* vocentur, a calculorum; ſiue lapidum paruorum in numerorum compoſitione monſtranda vſu. Conferas AVGVSTINVM *libr.* I. *confeſſ. cap.* 13. *tom.* I. *operum* p. 54. ed. Benedict. ISIDORVM *libr.* I. *origin. cap.* 3. p. I. CAPITOLINVM *vit. Pertinac. cap.* I. *tom.* I. *ſcript. hiſt. Aug.* p 350. Grammatiſtæ hi plurimam partem homines vilioris et ſeruilis conditionis erant, et quoniam etiam domini eos ad codices deſcribendos adhibebant, conſtat ex eo, quam ob cauſſam librario-

rum

generi deditus, *grammaticus* et *litteratus i*) vocabatur: illa antiquior erat; hæc vero ex ea originem ſuam ducebat, vt luculenter ex QVINCTILIANO *i*) diſcimus. Eamdem differentiam grammaticorum et grammatiſtarum haud raro produnt ſcriptores hiſtoriæ auguſtæ. Exemplo eſſe poteſt hoc IVL. CAPITOLINI *k*) effatum: *vſus eſt magiſtris ad prima elementa Euphorione litteratore, grammaticis Apro et Pollione et Eutychio Proculo Siccenſi.* Idem diſcrimen oſtendunt hæc GELLII *l*) verba: *tum ex his, qui aderant, alter litterator fuit: alter litteras ſciens. Hi duo inter ſe diſſentiebant et grammaticus quidem contendebat* cet. et APVLEII *m*): *prima*

rum et calculatorum nomina in antiquis monimentis paſſim coniuncta deprehendamus. Vide VLPIANVM *leg.* VII. *digeſt. de oper. libert.* et MODESTINVM *leg.* XV. §. 5. *digeſt. de excuſat.* CLAVDIVS SALMASIVS *not. ad ſcript. auguſt. tom.* I. p. 530. exiſtimat, eiusmodi grammatiſtas et *cauculonum* habuiſſe nomen, hancque in rem ad ſequens vetus prouocat epigramma:

- - docendam ſuſcepit cauculo pubem:

ſed errat. Corruptionis enim labe contaminatum eſt epigramma, et legi debet *calculo*, vt omnes rationes oſtendunt. Horum calculatorum etiam mentionem facit marmor apud GRVTERVM p. CCCLXXXVI. *inſcript.* 7. Adde IO. WOWERIVM *polym. cap.* V. p. 55. LAVR. PIGNORIVM de *ſeruis* p. 336. et PETR. BVRMANNVM *not. ad Valeſ. de crit.* p. 144.

i) vid. QVINCTILIANVM *libr.* II. *inſtit. orat. cap.* I.

k) *vit. M. Anton. philoſ. cap.* II. *tom.* I. *ſcript. hiſt. aug.* p. 290.

l) *libr.* XIII. *noct. Attic. cap.* 9.

m) *florid.* p. 363.

ma cratera litteratoris ruditatem eximit, ſecunda grammatici doctrina inſtruit. Docti hi grammatici, qui veterum poetarum et hiſtoricorum ſcripta legebant atque interpretabantur, criticæ quoque haud raro, vti critici grammaticæ, operam dare ſolebant, quoniam probe cognoſcebant, veterum auctorum interpretationem ſine critices ope nullo modo feliciter inſtitui poſſe. Quum igitur critici grammaticis; grammatici vero criticis diſciplinis ſtudia ſua conſecrarent, factum eſt, vt vtraque hæc diſciplina plurimam partem a veteribus arcto coniungeretur vinculo et ars critica ad grammaticam referretur *n*).

VI EX

n) vid. ſupra *de ortu et progreſſ. art. critic. apud. vet. rom.* §. X. *cap.* I. et *cap.* II. *de arte critica vet. rom.* §. I. Eiuſmodi grammatici haud raro vltra fines quoque, criticorum campo poſitos, progrediebantur et, præter grammaticam et criticam, etiam rhetoricam artem profitebantur. Conſtat hoc de Atteio philologo apud SVETONIVM *de illuſtr. grammat. cap.* X. p. 1073. qui id et de aliis grammaticis haud obſcure ſignificat *cap.* IIII. §. 6. p. 1067. ed. PITISCI. DIONYSIVS *Halicarnaſſeus* itidem in vtraque arte excelluit, et optimus rhetor ſimul ac excellens criticus fuit. Illud ex eius, quos conſignauit, *libris de imitatione;* hoc vero ex *critici* nomine, ipſi dato, luculenter adparet, id quod ex GREGORIO *Nazianzeno* et EVNAPIO probat HENR. VALESIVS *de crit. libr.* I. *cap.* 2. p. 249. Idem de Iſocrate apud POLYBIVM *legat.* CXX. et CXXII. et de Heraclide Pontico ſtatuendum eſt, cuius ingenium varios excluſit fetus, teſtes ſolidæ eius in arte rhetorica doctrinæ. Patet id quoque ex lapide

VI

EX his, quæ memoraui, ſatis patet, in grammaticorum ordine ſingularem conſtituiſſe claſſem criticos eorumque artem pro parte diſciplinarum grammaticarum putatam fuiſſe. Quod ſi autem quæritur: quot partes apud veteres ars grammatica habuerit? obſeruandum eſt, eos, qui hac de

de apud GRVTERVM p. DCLIII. *inſcr.* I. vbi Palæmon *grammaticus atque rhetor* vocatur. Cauſſa, quare grammatici his litterarum ſtudiis ſeſe conſecrauerint, facile diuinari poteſt. Multi per vanam, quam captabant, gloriam ad id adducti, *polybiſtorum* perſonam agere volebant; alii vero eum ſibi hac in re propoſitum finem habebant, vt eloquentiæ candidatis viam expeditiorem ad rhetorum ſcholas, maiori cum fructu frequentandas, aperirent. Quid quod eiusmodi grammatici et alias litteras amplexi ſunt? Luculenter hoc teſtatur QVINCTILIANVS *lib.* II. *inſtit. orator. cap.* I. cui effato IAC. PERIZONIVS *not. ad Sanctii Mineru.* p. 13. addendus eſt. Ex his varia nomina et cognomina, grammaticis adſignata, illuſtrari poſſunt. Qui ſolam *grammaticam exegeticam* profitebantur, ſimplici nomine *grammaticorum* vſi ſunt. Qui ad has litteras et criticæ ſtudium adiungebant, *grammatici illuſtres*, *nobilisſimi*, *perfectisſimi*, *litteratisſimi* vocabantur. *Polybiſtorum*, *philologorum*, *litteratorum* et πολυμαθῶν nomen iis tributum eſſe, legimus, qui, præter grammaticam et criticam, arti quoque rhetoricæ, hiſtoriæ, antiquitatibus aliisque litterarum diſciplinis operam dederunt. Conf. HENR. STEPHANVM *de crit. vet. græc. et latin.* p. 242. IO. WOWERIVM *polymath. cap.* XV. p. 149. ISAAC. CASAVBONVM *not. ad Athen.* p. 147. IO. CHRIST. WOLFIVM *not. ad Liban. epiſt. centur.* p. 225.

de re ſcripſerunt, inter ſe diſſentire ac varia ratione modo plures: modo pauciores diſciplinæ huius claſſes conſtituiſſe. VARRO apud DIOMEDEM *o*) eam in quatuor; DIONYSIVS vero *Thrax*, cuius SEXTVS *Empiricus p*) meminit, in ſex partes diuidit, quarum vltima eſt *κρίσις ποιημάτων*, ſiue *ars critica.* QVINCTILIANVS *q*) duas grammaticæ agnoſcit partes, recte nimirum loquendi ſcientiam et poetarum narrationem, qua et criticam comprehendiſſe videtur, quum iſta et alias *poetarum interpretatio*, quatenus vox iſta *late* ſumitur, dicta eſt. Alii porro grammaticam in *ἀτελεστέραν* et *τελειοτέραν* diuidunt, et ad illam legendi ac ſcribendi; ad hanc vero interpretandi et emendandi artem referunt, cuius ſententiæ PHILO iudæus *r*) inprimis fautorem ſe profitetur *s*). SEXTVS *Empiricus* diſciplinam hanc in *τεχνικὴν, ἱστορικὴν* et *ἰδιαιτερὴν* diſtinguit, cum quo non ſolum SENECA *t*)

o) p. 285. *collect. vet. grammat.* PVTSCHII.

p) *adu. grammat. libr.* 1. *cap.* 12. p. 268. Ad hæc verba lectu digna ſunt, quæ ex DIOMEDIS ineditis et in bibliotheca Leidenſi adſeruatis *ſcholiis* adferunt PETR. BVRMANNVS *not. ad Valeſium de crit.* p. 145. et LANGBAENIVS *not. ad Longin.* p. 40. In his ſcholiis quatuor grammaticæ conſtituuntur partes, *μέρος* videlicet *διορθωτικὸν, ἀναγνωστικὸν, ἐξηγητικὸν* et *κριτικὸν.*

q) *libr.* 1. *inſt. orat. cap.* 4.

r) *libr. de congreſſ. quærend. erudit. grat.* p. 445. ed. Francof.

s) conf. PHIL. IAC. MAVSSACVM *diſſ. crit. in Harpocrat.* p. 387.

SENECA *t*) conſentire videtur, quando ſcribit: *grammaticus circa curam ſermonis verſatur, et, ſi latius euagari vult, circa hiſtorias. Iam vt longisſime proferat fines ſuos, circa carmina;* ſed etiam ii, qui eam in μεθοδικὴν, ἐξηγητικὴν ac τελειοτέραν, ſiue κριτικὴν diſtinguunt. Conf. GER. IO. VOSSIVM *u*), PHIL. IAC. MAVSSACVM *x*), CASP. SCIOPPIVM *y*), IO. CLERICVM *z*) aliosque. Omnes hi memorati ſcriptores artem criticam grammaticæ partem habent; et ita quidem, vt illam omnium præſtantisſimam ac nobilisſimam eſſe, libere confiteantur, id quod ex multis teſtimoniis, nominatim ex DIONYSII *Thracis* effato haud obſcure colligitur, vbi artem criticam ad grammatices diſciplinas itidem refert; de ea vero pronuntiat, eam eſſe μέρος κάλλιςον πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ, *omnium partem optimam in hac atre*, videlicet grammatica. Vti vero hi grammaticæ; ſic alii criticæ fines amplificant et illam pro huius diſciplinæ parte putant. Ita *Tauriſcus*, Cratetis diſcipulus, ſubiecit arti criticæ grammaticam; ſiue, vt

t) *epiſt.* LXXXVIII. Secundam grammatices partem, alias *exegeticam* adpellatam, SENECA et PHILO *hiſtoricam* vocant, quoniam antiqui grammatici exegetici non ſolum de vſu, origine, et indole vocum totiusque ſermonis diſputabant; ſed etiam ex hiſtoria antiquis ſcriptoribus facem accendebant.

u) *libr.* I. *de art. grammat. cap.* 4. ſq.

x) *diſſ. crit. in Harpocrat. lexic.* p. 387.

y) *de art. critic.* p. 6.

z) *ſilu. philolog.* p. 151.

vt SEXTVS *Empiricus a*), loquitur: ὑποτάσσων τῇ κριτικῇ τὴν γραμματικήν. CHARES apud eumdem *b*) ſcriptorem a critico grammaticum plane ſeparat, et hunc interpretem inuſitatarum vocum; illum vero omnis eruditionis peritum eſſe debere, dicit. Ipſe SEXTVS *Empiricus*, quamuis tres grammaticæ partes earumque vltimam *criticam* eſſe, ſtatuat; de hac tamen ita loquitur, vt haud difficulter pateat, eum diſciplinæ huic varia adtribuiſſe, quæ aptius ad grammaticorum fundum remitti debuiſſent. Interpretatio enim vocum obſcuriorum non critici; ſed grammatici potius eſt officium. Quodſi quæritur: vnde factum ſit, vt veteres in definiendis vtriusque huius artis finibus ac terminis tam valde inter ſe diſſentiant? obſeruo, eos diſciplinas has non ex earum indole; ſed ex eorum, qui his animum conſecrarunt, conditione diiudicaſſe. Nonnulli, quum viderunt, grammaticos etiam criticæ ſeſe dare, in ſcriptis ſuis varia emendare, corrigere ac reſtituere; tum ſimul ſibi perſuaſerunt, artem, emendandi et corrigendi libros

a) *libr.* I. *adu. grammatic. cap.* 12. p. 268.

b) *libr. memorato*, p. 233. In hoc effato vocabulum γλώσσαι obſcuras atque inuſitatas voces ſignificat: conf. PHIL. IAC. MAVSSACVM *diſſertat. laudata*, p. 388. THOM. GATAKERVM *not. ad M. Antonin. libr.* IIII. §. 33. p. 120. eiusdem *operum*: IO. WOWERIVM *de polymath. cap.* VIIII. p. 75. IO. ALB. FABRICIVM *not. ad Sext. Empiric.* p. 233.

libros vetuſtos, ad grammaticorum fundum pertinere. Alii idem de arte critica, quod illi de grammatica, ſtatuebant, vbi criticos grammaticis litterarum ſtudiis ſeſe tradere, obſeruarunt. Præter hæc, haud raro veteres ad artis naturam ea referunt, quæ ad illius ſubſidia ſolum pertinent *c*).

VII

EX his, quæ memoraui, abunde patet, artem criticam grammaticis diſciplinis adnumeratam fuiſſe, cum quod omnia eiusmodi ſtudia, quæ ad verba et ipſam tam græcam; quam latinam linguam ſpectabant, ad illas pertinere, putatum fuit; per id vero in eumdem cenſum etiam hæc diſciplina tamquam verborum adulterino-

N rum

c) alii horum grammaticorum tam *technicorum;* quam *exegeticorum* græcas: alii latinas docebant litteras, id quod, præter varia apud *ſcriptores hiſtoriæ Auguſtæ* teſtimonia, et inſcriptiones docent. De Septiciano, cuius MARTIALIS *libr.* XI. *epigr.* 107. mentionem facit, lapidem vetuſtum apud GRVTERVM p. CCCLXVII. *inſcr.* 5. habemus, vbi *grammaticus latinus* vocatur. In alio lapide apud eumdem p. DCLIII. *inſcr.* 3. M. Metius Epaphroditus *grammaticus græcus* adpellatur, quod nomen etiam Domitio cuidam ibid. *inſcr.* 4. tributum videbis Pari ratione et critici alii græcos; alii latinos emendarunt ſcriptores, quamuis non defuerint, qui Latium cum græcia coniungerent, et de vtroque auctorum genere bene mererent, id quod præter alia ex lapide apud GRVTERVM, p. DCXXV. *inſcript.* 8. conſtat.

rum ac deprauatorum emendatrix, cadebat; tum ob ipſos criticos, qui, quum grammatices diſciplinis ſeſe conſecrarent, haud raro officiis quoque grammaticis perfungi ſolebant. Non ſolum enim iſti, vti priori de hoc argumento capite monſtratum fuit, fetus ingeniorum adulterinos ac ſubſtitutos a germanis ſepararunt: loca deprauata correxerunt ac de auctorum ætate, ſtilo eiusque virtutibus ac vitiis iudicarunt; ſed etiam eos, quoad verba et res, in iſtis traditas reputamus, explicarunt: errores, ab ipſis admiſſos, obſeruarunt: codices per puncta diſtinxerunt: loca ſibi contradicentia illuſtrarunt: ipſos libros apte diſpoſuerunt: bibliothecas in ordinem redegerunt: ſcholas habuerunt et quæ alia huius generis officia ſunt, quæ ad grammaticorum fundum pertinent et in quibus vetuſta criticorum romanorum cohors vires ſuas eſt experta. Ac de his criticorum officiis grammaticis quædam iam dicere adgrediar.

VIII.

AD eiusmodi munera, in quibus priſci litterati iudices non criticorum; ſed grammaticorum perſonam induerunt, pertinet I. *illuſtratio veterum ſcriptorum*, quam ita inſtituerunt, vt veterum ingeniorum, quæ inprimis Græcia tulerat, monimentis, re-

rum

rum et verborum ratione habita, lucem accenderent; ad veram eorum intelligentiam lectores ducerent atque inprimis in huius prouinciæ adminiſtratione ex etymologiæ, hiſtoriæ antiquæ, geographiæ, chronologiæ, antiquitatum atque aliarum disciplinarum fontibus præſidia haurirent. Haud obſcure hoc indicat SEXTVS *Empiricus d*), et, quamuis criticorum et grammaticorum officia inter ſe confundat; ex ipſis tamen eius verbis luculenter patet, criticos de priſcis poetis interpretandis optime meruiſſe et, præter emendationem corruptorum ac proſcriptionem adulterinorum, etiam effata obſcura et difficilia illuſtraſſe. Κριτικὴ inquit, ἰδιαίτερον ſcil. τὸ μέρος, τῆς γραμματικῆς, τὸ κατὰ τοὺς ποιητὰς καὶ συγγραφεῖς ἐπισκοποῦσι, καθὸ τὰ ἀσαφῶς λεγόμενα ἐξηγοῦνται, τά τε ὑγιῆ καὶ τὰ μὴ τοιαῦτα κρίνουσι, τὰ δε γνήσια ἀπὸ τῶν νόθων διορίζουσιν, *critica eſt præcipua et propria grammatices pars, qua conſiderant poetas aliosque ſcriptores, quatenus explicant obſcure ab iis dicta et quæ bona et ſana apud ipſos ſint: quæ non, iudicant et vera ac germana ab adulterinis diſtinguunt.* Docet hoc Valerii Probi, eximii ſub Nerone critici, exemplum, de quo SVETONIVS *e*) hæc memoriæ prodidit: *multa exemplaria contracta emendare ac diſtinguere*

d) *libr.* 1. *aduerſ. grammat. cap.* 4.

e) *de illuſtr. grammat. cap.* XXIIII.

ſtinguere et adnotare curauit. Plerumque verba recitata ita explicantur, vt criticus hic locos corruptos emendauerit: diſtinctiones ac ſubdiſtinctiones, id eſt, puncta, pro ſitu aliter atque aliter valentia, ad codices ſcripſerit et ſpuria atque adulterina adnotauerit; ſed ipſa vox *adnotare* plura; quam ſolam ſpuriorum adnotationem complecti videtur, ita vt ea ad omnia reſpiciat, quæcunque Valerius ad illuſtrationem veterum auctorum adtulit. Mouent me inprimis, A. GELLII et MACROBII effata, ex quibus abunde patet, Valerium non ſolum criticas obſeruationes exaraſſe; ſed etiam de iis rebus ſollicitum fuiſſe, quæ ad artem grammaticam plerumque referri ſolebant. GELLIVS *f*) enim memorat, eum voces *Annibal*, *Asdrubal*, *Hamilcar* ita pronuntiaſſe, *vt penultimam circumflecteret*, hocque ex Ennio et Plauto probare voluiſſe; ex MACROBIO *g*) autem haud obſcure colligitur, omnia, quæcunque Virgilius ex aliis antiquis ſcriptoribus mutuatus ſit, ſedulo eum adnotaſſe, ne dicam, ipſi a SVETONIO locum inter grammaticos vindicatum fuiſſe. Et quid plura? quicunque veterum criticorum ſcholia et gloſſemata vel leuiter inſpexerit, fateri debet, eſſe in illis non ſolum obſeruationes criticas; ſed

f) *libr.* IIII. *noct. Attic. cap.* 7.

g) *libr.* V. *ſaturnal. ſerm. cap.* 22.

ſed etiam grammaticas et philologicas *b*), multa-

N 3

b) ii, qui litterarum humaniorum ſtudiis apud veteres romanos ſeſe conſecrabant, duplicis generis fuerunt. Nonnulli verba ſcriptorum interpretabantur eorumque originem, ſcribendi modum, conſtructionem, ſignificationem aliaque his ſimilia ſcrutabantur. Alii, præter ea, in rebus ipſis, quas priſca ingeniorum monimenta tradunt, occupati fuerunt ac ea, quæ ad hiſtorias, regionum vrbiumque ſitus, fata ac viciſſitudines, antiquitates ac temporum notationem ſpectabant, perueſtigare atque excutere ſolebant. Illi *grammatici*; hi vero *philologi* appellabantur; ſiue, ſi græca nomina latino reddideris ſermoni: *litterati* et *eruditi*. SENECA *epiſt.* CVIII. p. 538 luculenter hoc diſcrimen docet, cuius verba digna ſunt, quæ legantur. De *litteratis*; ſiue grammaticis id, præter DIOMEDEM *libr.* II. *de orat* p. 414. *collect grammatic* vet EL. PVTSCHII, alia teſtimonia, nominatim FABII, MARTIANI CAPELLAE, MARII VICTORINI, AVGVSTINI, TERTVLLIANI, qui grammaticam *litteraturam* vocarunt, confirmant, et de quibus GER. IO. VOSSIVS de *arte gramm. tom.* II. *operum* p. 2. ANDR. SCHOTTVS *obſ. hum. libr.* III. *cap* 14 et IO. WOWERIVS de *polymath. cap.* XV. p 154. conſulendi ſunt. Philologos a romanis *eruditos* vocatos eſſe, comprobari ex SVETONIO poteſt *vit. Aug. cap.* LXXXVIIII. *vit. Calig cap.* LIII. et *de illuſtr. grammat. cap.* X. Idem et ex CICERONE *lib.* I. *de fin cap.* 7. liquet, qui *non ſatis politus*, inquit, *his artibus, quas, qui tenent, eruditi*, hoc eſt: philologi, *appellantur* Horum philologorum haud infrequens in antiquorum ſcriptis facta eſt mentio, et plenum honoris atque exiſtimationis fuit *philologi* nomen. Adfectauit id Arteius apud SVETONIVM de *illuſtr gram. cap.* X. adfectarunt et alii, inter quos etiam ſunt Valerius apud LIBANIVM *epiſt. centur.* a WOLFIO edita, p. 225. ac reliqui, quorum notitiam IO. WOWERIVS de

multaque in iſtis ex hiſtoria, antiquitatibus, geographia aliisque diſciplinis occurrere. Oſtendunt hoc inprimis veterum criticorum gloſſæ, a SVIDA, HESYCHIO aliisque congeſtæ, ex quibus multa, vbi neceſſarium foret, exempla in medium adducere poſſem. Vti vero nonnulli critici cuncta, quæ ipſis legendo obſeruatu digna videbantur, adnotarunt adque illuſtrarunt; ſic alii in illis certam tantum diſciplinam, cuius præcepta paſſim in ſcriptore obueniebant, perſequuti ſunt. Atque ad horum claſſem ii potisſimum pertinent, qui exempli gratia res mathematicas, in Platone exſtantes, explicarunt, vt Clearchus, Theodorus Solenſis, Philippus Mendæus, Theon Smyrnæus ac reliqui *i*). Alii verba ſolum interpretati ſunt, quemadmodum iam ſupra obſeruaui, vbi de variis gloſſarum generibus loquutus ſum. Ab his ii differebant, qui de recto verborum ſententiarumque vſu diſputarunt *k*) et, vt exem-

de *polymath. cap.* XV. p. 112. ſuppeditat. Apud GRVTERVM p. DCXXX. *inſcript.* I. itidem philologi mentio fit, cui ea addi poſſunt, quæ, præter IO. WOWERIVM *loco indicato*, GERARD. IO. VOSSIVS de *grammat. libr.* I. *cap* 6. PHILIPPVS PAREVS *lexic. critic.* p. 225. ISAAC. CASAVBONVS *not. ad Suetonium*, p. 276. et SAM. PITISCVS *not ad eumdem ſcript* p. 347. de philologis romanorum obſeruarunt.

i) conf. AEGID. MENAGIVS *not. ad Laert.* p. 160.

k) vide inprimis DAN. HEINSIVM de *veræ critices ortu, progresſis vsuque* p. 180. ſq.

exemplis res illuſtretur, VIRGILIVM caſtigarunt, quod vocem *vexaſſe* de re atroci: verbum *ſqualere* de ſplendore ac nitore; vocabulum vero *illaudatus* de ſceleratisſimo homine adhibuerit *l*); HORATIVS vero *Maurum* pro quolibet hoſte vſurpauerit *m*). Multa hanc in rem ad priſcos ſcriptores illuſtrandos contulerunt Acron et Porphyrius, celebres critici *n*); inprimis vero SENECA, quamuis non negandum ſit, eum ſæpe nimis ſubtiliter, acute et ſtricte egiſſe, reique non omni tempore certum fuiſſe ac diuerſis locis diuerſa de vna re tuliſſe iudicia. Ad harum obſeruationum grammaticarum claſſem ſpectat quoque eorum, quæ ambigue dicta erant, notatio. Sic in his HORATIO *o*) verſibus:

audiet pugnas, vitio parentum
rara iuuentus

obſeruarunt, vocem *parentum* non cum voce *pugnas*; ſed vocabulo *vitio* cohærere. Quando alio loco poeta canit *p*):

o vtinam noua
incude defingas retuſum in
Maſſagetas Arabasque ferrum.

lectorem admonuerunt, non intelligendum eſſe: *retuſum in Maſſagetas*; ſed *defingas*; vel vt plerique veteres codices habent:

l) conf. A. GELLIVS *lib.* 11. *noct. Atticar. cap.* 6.

m) *libr. od.* 2. *v.* 39.

n) conf. STEPHANVS de *crit. græc. et lat.* p. 230. ſq.

o) *libr.* 1. *od.* 2. *v.* 24.

p) *libr.* 1. *od.* 35. *v.* 39.

diffingas in Maſſagetas. Quando critici ipſi neſciebant interpretationem eorum locorum, quorum explicatio ambigua erat, optimum eſſe putarunt, eos ſolum indicare, ſententiamque ſuam reticere, et meſſem hanc vberioribus ac felicioribus ingeniis relinquere, quemadmodum variis exemplis HENR. STEPHANVS *q*) probauit.

VIIII

Præter hæc etiam critici II. *veteres ſcriptores caſtigare:* eorum errores commiſſos adnotare ac, quæ in illis vituperanda erant, omni diligentia obſeruare ſolebant. Animum aduertebant ad omnia, quæcunque in ſcriptis tam hiſtoricorum; quam poetarum artis elegantiæque regulis minus reſpondere, ipſis videbantur, quemadmodum id, præter SENECAM, inprimis ex SERVIO patet, qui poetam quidem ſuum ſæpe contra reliquorum criticorum friuolas inſimulationes grauiter defendit eumque, quantum poteſt, ab omni ſuſpicione vitii; aut inelegantis ſcriptionis vindicat; attamen non negandum eſt, eum aliis locis ſine cauſſa vetuſtiorum criticorum reprehenſiones ſequutum eſſe iisque ſæpe nimiam dediſſe fidem, id quod variis, vbi ſcriptionis argumentum et ratio id poſtularet, exemplis commonſtrare poſſem. Nemo negabit, veteres haud raro humani quid

q) *libro indicato*, p. 228.

quid paſſos eſſe, et, quum homines fuerunt; nullo modo a ſe impetrare potuiſſe, quin impingerent et haud animaduertendo, in errores grauiſſimos ſæpe incurrerent. Errarunt non ſolum in verbis eorumque recto vſu et ii quoque, qui maximam linguæ romanæ et græcæ facultatem ſibi comparauerant *r*); ſed etiam in rebus ipſis, quum ſæpe vel nimis præpoſtere; vel ex aliorum narratione quid ſcriberent, quod veritati repugnabat, erroresque per id geographicos, chronologicos, hiſtoricos aliosque proderent. Omnia eiusmodi errata ac cuncta, quæ vel artis regulis, et ſermonis elegantiæ; vel veritati auerſabantur, ſedulo notauit veterum criticorum cohors, quemadmodum multis exemplis comprobari poteſt; quorum nonnulla hic adducere liceat. CICERO *s*) ſcribit: *quoniam te non Ariſtarchum; ſed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam adponas ad malum verſum; ſed poetam armis perſequare*, vbi per *malum verſum* quemcunque, qui a criticis reprehenſione dignus habitus eſt, intelli-

r) conf. MVRETVS *libr.* I. *epiſt.* 33. BVCHNERVS *lib.* II. *epiſt.* 113. p. 332. THOM. GATAKERVS *not. ad Antonin. imp.* p. 92. PHILIPPVS CAROLI *orat. de criticis.* IO. CLERICVS *art. crit. vol.* I. p. 23. et p. 29. et *vol.* II. p. 402. et cel. CHRIST. AVGVST. HEVMANNVS *parerg. crit.* p. 52.

s) *orat. in Piſonem cap.* 30. *tom.* III. *part.* I. *orat.* p. 730. ed. GRAEVII.

gere videtur; alio vero loco *ſs*) *vt enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat; ſic tu, libet enim mihi iocari, quod diſertum non erit, ne putaris meum.* Ad eiusmodi verſus, quos Ariſtarchus ex Homero proſcripſit, et illi pertinent, quibus phœnix adſerit, ſe voluiſſe patri manus violentas inferre, vt PLVTARCHVS *t*) teſtatur. Inprimis ea confirmat HORATIVS *tt*), quando ita canit:

vir bonus et prudens verſus reprehendet inerteis,
culpabit duros, incomtis adlinet atrum
transuerſo calamo ſignum,

cui hæc GELLII *u*) verba adiungenda ſunt: *quæ in eo libro ſcripta eſſent in vtrasque exiſtimationes, laudis et culpæ adnotamentis digna.* Quam multa critici in Homero reprehenderint, ſatis notum eſt, atque ex iis teſtimoniis, quæ hac de re WOWERIVS *x*) adduxit, abunde patet. Mox ipſis tota rem tractandi ratio diſplicebat, ita, vt omnia notarent, quæ contra ſtatum ac rem præſentem, de qua auctor agebat, adlata ipſis videbantur: mox in verbis quid inueniſſe ſibi perſuadebant, quod animaduerſione cenſoria dignum eſſet, vbi itidem nunc hæc:

ſs) *libr.* III. *ep.* II. *ad famil.*

t) de *audiend. poetis, tom.* II. *oper.* p. 26.

tt) *art. poet. v.* 445.

u) *libr.* XVII. *noct. Att. cap.* 2.

x) *polymath. cap.* XVII. p. 176.

hæc: nunc illa culpare ſolebant. Sic SERVIVS ad hæc verba VIRGILII *y*):

trahit ſua quemque voluptas

obſeruat, ea *a criticis notata eſſe, quod hanc ſententiam dederit ruſtico, ſupra carminis bucolici legem; aut posſibilitatem.* Sic vitii adcuſant eumdem poetam, quod *libro octauo Aeneidos* excidium Troiæ præſentibus Troianis laudauerit. Hæc porro verba *z*):

nam Polydorus ego: hic confixum ferrea texit
telorum ſeges, et iaculis increuit acutis

vituperant, quod poeta res a probabilitate plane alienas et vltra omnem fidem adſurgentes, finxerit, quod et SERVIVS notat, ac tum ita pergit: *denique obiicitur Virgilio de mutatione nauium in nymphas, et quod dicit per aureum ramum ad inferos eſſe deſcenſum. Tertium, cur Iris Didoni comam ſecuerit.* Varia eiusmodi contra Virgilium monuit HYGINVS, vt ex GELLIO *a*) adparet: *reprehendit*, inquit, *Hyginus*, de quo critico iam ſupra dixi, *Virgilium, correcturumque eum fuiſſe, exiſtimat, quod in libro ſexto ſcriptum eſt: Palinurus eſt apud inferos, petens ab Aenea, vt ſuum corpus requirendum et ſepeliendum curet*, quibus verbis alia, ab Hygino ſub cenſuram vocata, adiungit; tum vero ita ſcribit: *item in his verſibus erraſſe, Virgilium dicit:*

eruet

y) *bucol eclog.* II. *v.* 65.
z) *libr.* III. *Aeneid. v.* 45.
a) *libr.* I. *noct. Atticar. cap.* 16.

eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas
ipſumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli,
vltus auos Troiæ, templa et temerata Mineruæ.

confudit Virgilius, *inquit Hyginus, et perſonas diuerſas et tempora.* In poetis ſæpe caſtigarunt totam carminis diſpoſitionem et poeticas inuentiones, vbi in illis cuncta haud apte inter ſe connexa eſſe, animaduertebant, notaruntque ea, quæ ipſis contra artis ac carmen componendi regulas et præcepta ſcripta eſſe, videbantur. Sic SENECA *b*) iudicium OVIDII de his VARRONIS verſibus:

deſierant latrare canes vrbesque ſilebant
omnia noctis erant, placida compoſta quiete,

ita memorat: *ſolebat Ouidius de his verſibus dicere, potuiſſe fieri longe meliores, ſi ſecundi verſus vltima pars abſcinderetur et ſic deſineret, omnia noctis erant*; de ipſo verò Ouidio SENECA pariter ac QVINCTILIANVS, critici illuſtres, iudicarunt, eum neſciiſſe, *quod bene ceſſit, relinquere.* MACROBIO quoque, qui haud ſemel criticum ſe geſſit, non omnes Virgilii poeticæ ſe commendant fictiones, inprimis illæ, quas ipſe, vt dicit, excogitare debuiſſet, et in quibus Homerum imitari haud potuiſſet. His ea addi debent, quæ critici in Horatio culparunt, et

b) *libr.* I. *controu.* 16. *tom.* III. *oper.* p. 238.

et quæ ex PORPHYRIONE, poetam contra has inſimulationes defendente, adfert HENR. STEPHANVS *c*). Aliis criticis diſplicebat, quod idem poeta in his verſibus, de rixa dicturus *d*):

- - - nunc mihi paucis
ſarmenti ſcurræ pugnam Meſſique Cicirri
muſa, velim memores: et quo patre natus
vterque
contulerit lites,

muſæ auxilium implorauerit. Improbabant quoque ſæpe comparationes, a poetis inſtitutas, quemadmodum luculenter ex SERVIO *e*) patet; qui tamen poetam excuſat, atque recte obſeruat, duas diuerſas res optime inter ſe conferri poſſe, quamuis haud in vniuerſum; ſed aliqua ex parte adſit ſimilitudo et conuenientia. Decori quoque rationem habebant critici, ac inde haud raro occaſionem ſibi parabant, poetas ſuos caſtigandi, vbi in illis quædam prolata eſſe, animaduerterent, quæ vel bonis moribus ac honeſtati; vel reuerentiæ erga deos contradicere ipſis videbantur, quemadmodum ex variis exemplis, ab HENR. STEPHANO *f*) et IO. WOWERIO *g*) adlatis, abunde conſtat. Multa ſane eiusmodi reprehen-

c) de *crit. vet. græc. et lat.* p. 232.

d) *ſerm. libr.* 1. *eclog.* 5. *v.* 51.

e) ad *libr.* 1. *Aeneid. v.* 502.

f) *loco indicato*, p. 108.

g) *polym. cap.* XVII. p. 176.

prehenſionum genera addi poſſent, vbi id neceſſarium foret, quum ea, quæ iam memoraui, hunc criticorum morem ſatis et abunde comprobant. Non negandum quidem eſt, veteres criticos in hac officii ſui parte nonnunquam bene de priſcis ingeniorum monimentis meruiſſe; quilibet tamen fatebitur, iſto quoque interdum per id, quod nimium eſt, peccaſſe. Plurimi a fine, qui in veterum auctorum emendatione ac conſeruatione poſitus erat, aberrabant: critici officiis haud ſatisfaciebant; ſed verborum ac nugarum aucupio delectabantur, quum contra ea alii, quodcunque aduerſus bonos mores; aut ſermonis elegantiam dictum eſſe, obſeruabant, nimis præpoſtere emendare; per id vero loca ſana et nulla deprauationis labe adfecta corrigere ac corrumpere, ſibi ſumerent *b*).

X

AD hæc criticorum enarrata officia adiungenda eſt III. *librorum per puncta diſtinctio.* Antiquisſimis temporibus interpunctiones in vſu haud erant; ſed græci omnes voces, nullo relicto inter iſtas ſpatio, vna ſerie ſcribebant; vbi vero ſenſus, licet imperfectus eſſet, abſoluebatur, nouæ lineæ initium

b) conf. de hoc criticorum vitio, de quo iam ſupra quædam dixi, reu. *abbatem Gottwicenſem, chron. Gottwicenſ. tom.* 1. p. 5.

initium fieri ſolebat *i*). Eiusmodi verſiculi a græcis στίχοι adpellabantur et quoniam iſti non integram periodum; ſed imperfectam ſolum eius ſententiam deſignabant, factum eſt, vt in vnica periodo ſæpe tres et quatuor: immo plures στίχοι numerarentur *k*). *Vno ac perpetuo ductu*, inquit CLAVD. SALMASIVS *l*), *ſine vllo interſtitio voces omnes exarari ſolebant et ſententiæ etiam continuari; niſi quod, vbi perfecta fuerat, non in eadem linea alteram auſpicabantur; ſed principium alterius lineæ; ſiue verſus incboabant. Inde nata diſtinctio per verſus, qui maiores; aut minores erant, prout ſententia pluribus; aut paucioribus verbis abſoluebatur. Interdum quippe duas: interdum tres; aut plures lineas ſinguli verſus occupabant. Græci στίχους adpellant. Opera autem ipſa numerabantur per verſus, quorum ſumma in fine libri ſubducta notabatur. Inde πολύστιχον βιβλίον de grandi volumine dicebant.* Ad originem ipſarum diſtinctionum quod adtinet, per ordinem ea ad Ariſtophanem Byzantium, qui annis ante ſeruatorem natum circiter ducentis, olympiad. videlicet CXLV. ſub Ptolemeo Epiphane Aegypti rege, vixit, refertur, ac de

i) conf. PETR. LAMBECIVM *biblioth. Vindob. libr.* II. *cap.* 7. *n.* 521. *tom.* I. p. 22. et IVSTVM LIPSIVM *cent.* III. *epiſt. miſc.* 39. *tom.* II. *operum* p. 260.

k) vid. GODEFRIDVM, reu. abbatem Gottwicenſem, *chron. Gottwic.*

l) *epiſt. ad Sarrau.* p. 255.

de eo perhibetur, eum ad faciliorem docendi methodum accentus et omnem diſtinguendi rationem excogitaſſe. Ita ſtatuunt CL. SALMASIVS *i*): IO. NIC. FVNCCIVS *k*) aliique plures; IO. CLERICVS *l*) contra et poſt eum GODEFRIDVS reu. abbas Gottwicenſis *ll*) ex ARISTOTELE *m*) probari poſſe exiſtimant, eius ætate interpunctiones haud plane incognitas fuiſſe. Sed philoſophi teſtimonium, quo CLERICVS vtitur, ita eſt comparatum, vt totam rem minime expediat. Loquitur ARISTOTELES de Heracliti ſcriptis ac conqueritur, voces in illis ita eſſe coniunctas, vt lector etiam acutisſimus ſæpe non diuinare posſit, vtrum voces ad priorem; an ad poſteriorem periodum pertineant. Ex hoc effato neutiquam CLERICI ſententia de diſtinctionum antiquitate comprobanda eſt. Id enim etiam de ipſo ſtilo Heracliti poteſt explicari, qui ita confuſus, obſcurus et parentheſibus turbatus fuit, vt nemo veram verborum ſententiam adſequi et periodos rite a ſe inuicem diſcernere potuerit *n*). Ipſarum diſtinctionum, poſt Ariſtopha-

i) *loco memorato.*

k) de *ſcript. vet. cap.* V. §. 3. p. 159.

l) *art. crit. part.* III. *ſect.* 1. *cap.* 10. §. 20.

ll) *chron. Gottwicenſ. tom.* 1. *cap.* 1. §. 6. p. 20.

m) *libr.* III. *rhetoric. cap.* 8.

n) vid. cel. C. H. TROTZIVM *not. ad Hugon. de prim. ſcrib. orig.* p. 245. vbi recte hæc contra Clericum monet, ac deinde addit: *poſſet*

ſtophanem adhibitarum, tria potiſſimum exſtiterunt genera o), τέλεια videlicet στιγμή, ſiue punctum in capite; aut apice eius litteræ poſitum, qua periodus abſoluebatur: ὑποστιγμή, punctum ad infimam litteræ partem collocatum, quo partes periodi inter ſe diſcerni ſolebant: μέση στιγμή, medium punctum, ad mediam litteræ partem apud eas voces poſitum, quæ periodum quidem non claudebant; ita tamen comparatæ fuerunt, vt lector apud iſtas paullo ſubſiſtere et ſpiritum colligere poſſet. Noſtra commata aliaque eiusmodi, quibus vtimur, diſtinctionum ſigna antiquis græcis plane incognita fuerunt; ſed ſola iſta memorata puncta, pro ſitu ſuo aliter valentia, adhibita ſunt, in familiari potiſſimum ſcribendi ratione, et ad dignoſcendos cantus. Codices enim plerumque, etiam poſt inuenta tria hæc diſtinctionum genera, ſine punctis ſcribebantur, et, ſi quoque iis poſtea librarii et ſcribæ vſi ſunt; inepte tamen id plurimam partem factum eſt, ita vt haud raro ea per puncta ſeparata a ſe inuicem ſint, quæ tamen

poſſet etiam locus, Ariſtotelis, *ita explicari, quaſi dixerit Ariſtoteles, verba Heracliti ſic eſſe condenſata; nec punctis ſingulæ voces, vt moris olim erat, diſtinctæ, vt difficile eſſet anagnoſtis, inter legendum illa ſeparare, dubiis, an prioribus; an poſterioribus eſſent adnectenda. Vel etiam: verſibus non diſtinxiſſe Heraclitum ſententias; ſed in eadem linea nouam ſententiam incboaſſe quod confuſionem poterat cauſſari.*

o) leg. vir. cel. CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVM *diſſ.* II. de *ornament. libror.* §. VIIII

coniungi debuiſſent *p*). Ad romanos quod ſpectat, apud eos itidem, vti apud græcos, ab initio nulla diſtinctionum ſigna in vſu fuerunt; poſtea vero duplex diſtinguendi ratio in conſuetudinem adducta fuit: altera, qua ſingulæ voces: altera, qua periodi et cola ſeparabantur. Illa in lapidibus priſcis obſeruatur, vbi variæ harum diſtinctionum formæ ac figuræ cernuntur, VT EX GRVTERO, REINESIO, FABRETTO, MVRATORIO aliisque veterum marmorum collectoribus ſatis conſtat *q*). Hæc quando originem ſuam habuerit, haud accurate definiri poteſt. Antiquisſima codicum exempla neutram habent, neque apud græcos; neque apud latinos *qq*), et, ſi quoque in illis codicibus, qui *vncialibus*, vti dicuntur, et *capitalibus* litteris ſcripti ſunt, ſigna occurrunt, illa ſolummodo puncta ſunt, quibus ſingulæ voces inter ſe diſtinguuntur. In codicibus, rotundiori ac minori charactere exaratis, ſententiæ abſolutæ per ordinem punctis deſignantur: raro ſubdiſtinctiones adhibentur, vt recte CLAVD.

SAL-

p) conf. IO. CLERICVM *art. crit. vol* II p. 123. et ex antiquis ſcriptoribus GALENVM *tom.* III. *operum* p. 96. *tom* VIII. p. 710. ed. Charterian.

q) lege CHRIST. GOTTLOB. SCHWARZIVM *diſſ. memorat.* §. VIIII.

qq) vid. IO. MORINVM de *ebr. græcique text. ſinc. exerc.* XVII. CL. SALMASIVM *loco memorat.* et IO. CLERICVM *art. crit. part.* III. *ſect.* I. *cap.* 10. §. 2. p. 123. ſq.

SALMASIVS *r*) obſeruat. Hæc quamuis ita ſint, nihilominus poſterior, verba diſtinguendi, ratio, qua per puncta non ſolum periodi; ſed etiam diuerſæ earum partes diſcernuntur, iam CICERONIS æuo in vſu fuiſſe, videtur. Præterea enim, quod ASCONIVS PEDIANVS *s*) diſerte teſtetur, Tullii ætate iam ſubdiſtinctiones in vſu fuiſſe, ipſe CICERO interpunctionum harum mentionem facit. *Clauſulas*, inquit *t*), *atque interpuncta verborum animæ interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt*, et alio loco *u*): *verſus veteres illi in hac ſoluta oratione propemodum, hoc eſt, numeros quoſdam adhibendos nobis eſſe, putauerunt. Interſpirationis enim; non defatigationis noſtræ; neque librariorum notis; ſed verborum et ſententiarum modo interpunctas clauſulas in orationibus eſſe voluerunt.* Celeberrimus CHRIST. HENR. TROTZIVS *x*) quidem ex his effatis confici poſſe, negauit, iam Ciceronis æuo interpunctionum notas a librariis vſurpatas fuiſſe; ſed variæ rationes me impellunt, vt a doctiſſimo viro hac in re diſcedam. Exiſtimat, priori recitato loco ſermonem eſſe de fine periodorum earumque clauſulis; at vnde probari poteſt, periodorum fines earumque clauſulas *interpunctorum* nomen habuiſſe? Et ſi tota quoque res ve-

O 2 terum

r) *loco memorato.*

s) *not. in orat. Verrinas Ciceronis*, quem locum CL. SALMASIVS *epiſt. memorat.* excitauit.

t) *lib.* III. *de orator. cap.* 6.

u) *loco excitat. cap.* 44.

x) *loco memorato.*

terum ſcriptorum teſtimoniis expediri atque oſtendi poteſt, *interpuncti* vocabulum nonnunquam figurate et improprie vſurpari; ipſe tamen, ſi qui eſt, vſus ſatis oſtendit, exſtitiſſe eiusmodi apud veteres ſigna, quibus periodi inter ſe ſeparatæ atque harum fines indicati fuerint, quoniam ab illis demum tropica hæc loquendi ratio fingi et formari debuit. *Perſpicuum eſt*, inquit CLERICVS *uu*), *eum agere non modo de clauſularum; ſeu finium periodorum diſtinctionibus; ſed et de colorum, quid enim eſſent interpuncta verborum, præter membrorum interpunctiones.* Luculentius alterum eſt, quod adduxi, teſtimonium, de quo ipſe doctisſimus vir fatetur, deſignari illo notas librariorum, tanquam morandi indices, in fine periodorum adpoſitas. Hæc vbi vera ſunt, non penitus romanis et ſubdiſtinctiones abiudicandæ eſſe, videntur, præſertim quum Cicero non periodis; ſed diſerte *verbis et ſententiis*, quibus videlicet periodus componi ſolet, *interpunctas clauſulas* tribuit. Quid? quod ex hoc loco *x*), quem itidem celeberrimus vir adfert: *res enim ſunt paruæ, prope in ſingulis litteris atque interpunctionibus verborum*, haud obſcure pateat, Ciceronis æuo eiusmodi periodorum et in illis membrorum diſtinctiones haud incognitas fuiſſe. Intelligit quidem doctisſi-

uu) *loc. memorat.* p. 127.
x) *orat. pro Muræna, cap.* XI. p. 35. edit. GRAEVII.

doctisſimus TROTZIVS, LIPSIVM *y*) ſequutus, hæc verba de ſingulorum verborum punctis, in quibus iurisconſulti, vt omnis verborum ambiguitas euitaretur, occupati fuerint; ſed, quomodo quæſo ex omisſione eiusmodi punctorum ambiguitas verborum oriri; aut, iis additis, tolli potuiſſet, non video, quum contra ea hoc potius adfirmandum eſt de periodorum et ſingulorum in illis membrorum diſtinctionibus, quæ, ſi rite ponuntur, orationem perſpicuam: ſi omittuntur, ſæpe confuſam, dubiam et ancipitem reddunt. Nec, quod pace doctisſimi viri dixerim, multum valere exiſtimo illud argumentum, quod CICERO orationes ſuas et opera reliqua notis illis non diſtinxerit. Quis quæſo nobis dicat, Ciceronem hoc feciſſe; aut neglexiſſe? Nam noſtri codices, quorum maxima pars multis poſt auctorem ſeculis ſcripta eſt, nihil hac in re probant, id quod etiam de pandectis Florentinis obſeruandum eſt, quippe quæ mox poſt Iuſtiniani tempora exaratæ videntur. Præterea in ipſis his memoratis pandectis Florentinis, quamuis per ordinem in illis nullæ interpunctiones additæ ſint; nihilominus iis non plane in nonnullis locis ſunt deſtitutæ; quæ tamen non omnes, teſte H. BRENCMANNO *y*), a librariis adpoſitæ ſunt, ne dicam de ſingulari-

y) *cent.* III. *miſc. epiſt.* 9. *tom.* II. *oper.* p. 257.

y) *hiſt. pandect.* p. 132. 137.

gularibus locis, nitide ſcriptis, quæ, vt ex BRENCMANNO, vir eruditiſsimus, CHRIST. HENR. TROTZIVS ipſe obſeruat, punctorum diſtinctiones vice commatum habent z). De teſtimoniis, quæ ex SVETONIO et SENECA ad defendendam diſtinctionum antiquitatem in medium adferri ſolent, mox exponam. Qui plura de ſubdiſtinctionum harum origine ac progreſſu deſiderat, adeat præter CL. SALMASIVM, CHRIST. HENR. TROTZIVM et GODEFRIDVM abbatem Gottwicenſem iam laudatos: LEONEM ALLATIVM zz), HENR. STEPHANVM a), BERNARD. DE MONTFAVCON b), IVST. LIPSIVM c), IO. CLERICVM d), BVRC. GOTTH. STRVVIVM e), CHRIST. GOTTL. SCHWARZIVM f), IO. NIC. FVNCCIVM g) et CHRIST. HENR. ECKHARDVM h).

XI QVAM-

z) falluntur ergo POLITIANVS *miſcellan. cap.* XLI. CLERICVS *art. crit. part.* III. *ſect.* I. *cap.* 10. §. 3. p. 124. et GODEFRIDVS, abbas Gottwicenſis, *chron. Gottwicenſ. tom.* I. *libr.* I. *cap.* I. §. 6. p. 23. quando pandectarum hunc codicem plane nullis diſtinctionibus ſcriptum eſſe, adfirmant.

zz) *animaduerſ. ad fragm. Etruſc.* p. 79.

a) de *crit. vet. graec. et lat.* p. 74. ſq.

b) *palæograph. graec. libr.* I. *cap* 4. p 28.

c) *libr.* III. *epiſt. miſc.* 59. *tom.* II. *oper.* p. 257.

d) *art crit. vol.* II. p. 123. ſq.

e) *diſſert. de criter. manuſcript.* § 15. ſq.

f) *diſſ* ſupra *laudata.*

g) de *ſcript. vet. cap.* V. §. 159.

h) *introduct. in rem. diplomat. ſect.* II. §. 17. p. 56.

XI

QVAMVIS vero ex his ſatis pateat, interpunctionem ſcriptorum Ciceronis æuo notiſſimam exſtitiſſe; nihilominus ex eo haud colligi debet, auctores in ſcriptis ſuis ea quoque vbiuis vſos fuiſſe; nec ſolum periodos; ſed etiam ſingula earum membra his ſignis apte inter ſe diſtinxiſſe. Plerumque eam, quando ſcribebant, neglexerunt *b*); hinc vero criticis et grammaticis id negotium datum fuit, vt non ſolum codices rite perlegerent: periodos et earum partes interpunctionibus ſecernerent; ſed etiam, ſi quæ iam antea a librariis inepte adſcriptæ fuerant, diſtinctionum notas, ſenſum auctoris miſere corrumpentes, emendarent, et ad iuſtum ſuum locum transferrent. Munus hoc ſane haud parui momenti erat, et veteres romanorum critici optime de antiquis ingeniorum monimentis hac ratione merebantur. Satis enim conſtat, diſtinctiones, inepte poſitas, ſæpe in priſcis ſcriptoribus maximam parere obſcuritatem, eorum ſententiam, quam ſcribendo exprimere voluerunt, diſtorquere; aut certe maxime ambiguam reddere. Ita multa effata in auctoribus vetuſtis deprehenduntur, quæ diuerſam admittunt interpretandi rationem, pro diuerſa diſtin-

b) vid. CLERICVS *loc. memorat.* p. 132.

ctionum diſpoſitione ac collocatione *i*). Ad criticos quod adtinet, varia teſtimonia confirmant, eos huic interpungendi officio optime ſatis feciſſe. Solet hac in re ad Ariſtotelem, optimum criticum, prouocari, vtpote qui conqueſtus fuerit, interpunctionem Heracliti ſcriptorum laborem eſſe difficillimum; ſed ſupra iam ſatis oſtendi, locum hunc philoſophi non multum ad probandum valere, quum iſte diuerſo modo intelligi atque explicari poſſit. Prouoco potius ad illuſtre M. Valerii Probi exemplum, qui ſub Nerone Romæ vixit, et varia, ad rem grammaticam potisſimum ſpectantia, in lucem eduxit publicam. De eo ita ſcribit SVETONIVS *k*): *multa exemplaria contracta emendare ac diſtinguere et adnotare curauit: huic ſoli; nec vlli præterea grammatices parti deditus*, vbi per vocem *diſtinguere* nihil aliud intelligitur; quam verborum interpunctio, a Valerio Probo ita inſtituta, vt ſingulas periodos, harumque diuerſas ſententias ac partes rite inter ſe, adhibitis certis diſtinctionum ſignis, diſcerneret. Ita plurimi, quantum ego ſcio, interpretes locum hunc intelligunt, cum quibus et SALMASIVS *l*) conſpirat, quando ſcribit: *gram-*

i) conf. IO. CLERICVS *art. crit. part.* III. *ſect.* I. *cap.* 10. *vol.* I. p. 123. et 133. IAC. CVIACIVS *lib.* 1. *obſ. cap.* 14 CORN. VAN BYNCKERSHOECKIVS *libr.* 1. *obſ. cap.* 10. *libr.* IIII. *cap.* 14. CHRIST. HENR. TROTZIVS *not. ad Hug. Grotium de prima ſcrib. orig.* p. 255.

k) de *ill. gram. cap.* XXIIII

l) *epiſtol.* ſupra *laudat.*

grammatici, qui libros emendabant et conferebant cum antiquioribus et emendatioribus codicibus, non ſolum, ſi quid erat titubatum a librariis, corrigebant; ſed etiam accentus adponebant et diſtinctiones. Vidi libros vetuſtisſimos, in quibus adparebat plane, ſcripturam eſſe ab antiquiore manu; quam accentus. Nec ſecus fuit apud Latinos, quod colligere poſſumus ex vita Valerii Probi grammatici apud Suetonium, vbi vides, eos grammaticos, qui libros auctorum emendabant, etiam diſtinguere eosdem ſolitos, id eſt, diſtinctiones apponere. Doctisſimus TROTZIVS itidem contra locum hunc pugnat, quoniam in eo elaborat, vt diſtinctionum antiquitas omni modo ſuſpecta reddatur. Putat, vocem *diſtinguere* vel ad ſingula verba, punctis diſtincta, referri; vel ita explicari poſſe, vt Probus *confuſam ſcripturam et in ſe implicatam ſeparauerit.* Sed quis, quæſo, ſibi perſuadebit, hunc laborem critico ingenio dignum antiquitus iudicatum fuiſſe? Hoc enim munere vel leuiter periti et infimæ ſortis librarii perfungi potuerunt; nunquam autem legimus, criticos eiusmodi vilioribus negotiis ſeſe occupaſſe. *Nulla eſt ars*, inquit recte CLERICVS *m*), *in interpungendis ſingulis verbis, iis, qui linguam tenent; ſed eſt aliqua in diuidendis apte membris et periodis, quum et permultos ea in re peccare videamus, quumque non pauca loca in ſcriptis veterum propterea*

m) *loc. memorat.* p. 131.

non ſatis intelligantur. Præterea, quum Probus ad emendationem veterum ſcriptorum diſtinctionem eorum adiunxit, facile colligitur, eum emendatis a ſe verbis verum ſenſum hac interpunctione conciliare ac per id emendationes ſuas probabiles efficere voluiſſe, quod vt adſequeretur, neceſſe videbatur, non, vt ſingulis verbis puncta adderet, id quod ſenſum nec illuſtrat; nec obſcurat; ſed, vt eiusmodi interpunctionibus veram ſententiarum in periodis connexionem ac diſpoſitionem monſtraret, quum ſine iſta, quæ mens ſcribentium fuerit; intelligi haud poteſt. Ex his ſane patet, longe aliam Valerii fuiſſe interpunctionem; quam vir celeberrimus ſibi ſinxit. Et vnde probabit, hac ætate in codicibus ſolummodo ſingulas voces punctis inter ſe disiunctas fuiſſe? Quæ enim ex adlatis CICERONIS teſtimoniis probare voluit, ſupra iam, quod pace eius fecerim, refutaui ac monſtraui, recitata illa effata ſatis declarare, in periodis non ſingula verba; ſed ſingulas earum partes et membra rite a ſe ſignis ſeparata fuiſſe. Quando porro putat, locum hunc SVETONII etiam ita explicari poſſe, vt Probus *confuſam et in ſe implicatam ſcripturam ſeparauerit,* non credo, hanc vocabulorum *diſtinguere, contrahere,* in antiquis ingeniorum monimentis ſignificationem vnquam oſtendi poſſe. Vox *contrahere* in hoc effato idem eſt ac *colligere,*

vt

vt omnes rationes confirmant. Probandum autem eſt viro celeberrimo, codices, in quibus, vt ipſe dicit, *confuſa et in ſe implicata ſcriptura* adhibita eſt, tam ſimpliciter *contracta exemplaria* vocatos eſſe.

XII

SVETONII teſtimonio aliud ex SENECA *m*), nobili critico, addendum eſt: *Q. Haterii curſum*, inquit, *ſuis temporibus oratoris celeberrimi, longe abeſſe ab homine ſano volo. Numquam dubitauit, numquam intermiſit, ſemel incipiebat, deſinebat. Quae tamen et nationibus puto magis; aut minus, conuenire. In graecis hanc licentiam tuleris: nos etiam, quum ſcribimus, interpungere conſueuimus.* Loquitur de illo vitio, quando vno fere anhelitu et ſpiritu, nullo relicto inter ea, quae ſeparari debent, breui temporis ſpatio, ſcripta recitantur. Omnes rationes docent, diſputare philoſophum de ea interpunctione, qua non ſingulis verbis puncta; ſed periodis earumque partibus ſua diſtinctionum ſigna adduntur. Quum enim aperte ſignificat, oratorem pronunciando interpunctionis rationem habere ac pro huius conditione ſubſiſtere paullulum, ac deinde pergere debere, non video, quomodo haec verba cum ANT. MVRETO, IVSTO LIPSIO et CHRIST. HENR. TROTZIO de interpunctione ſingulorum verborum intelligi

m) *epiſt.* XXXX. *tom.* II. *oper.* p. 140.

intelligi poſſint. Quis, quæſo, vnquam oratorem recitantem: apud ſingula verba ſpiritum de nouo colligentem ac quieſcentem audiuit? Res ipſa ſatis oſtendit, quum orator ad interpunctionem adtendere debeat, ſermonem de nulla alia eſſe poſſe; quam qua periodi earumque membra, verborum et ſententiarum modo rite inter ſe discernuntur ac ſeparantur. *Lectioni*, inquit DIOMEDES *m*), *poſituras accedere oportet, quas Græci* θέσεις *vocant, quæ inter legendum dant copiam ſpiritus reficiendi, ne continuatione deficiat. Hæ tres ſunt: diſtinctio, ſubdiſtinctio, media diſtinctio; ſeu mora; vel, vt quibusdam videtur, ſubmedia.* At loquitur Seneca de more æui ſui ſcriptorum, quo hi ipſos ſuos ingenii fetus interpunxerint? Verisſimum hoc eſt; ex eo vero luculenter colligitur, quæ antea ſine punctis exarata fuerant, ea non ſolum SENECAM; ſed etiam alios criticos omni diligentia interpunxiſſe. Quis enim ſibi perſuadere poteſt, criticos hoc æuo, vbi ipſi, quum ſcriberent, diſtinctionibus vſi ſunt, has, quando vetuſtiorum auctorum ingenii monimenta perlegerunt, omiſiſſe ac neglexiſſe, quum eas maximæ vtilitatis eſſe, cognoſcerent, ac nihil, quod ad meliorem veterum ſcriptorum intelligentiam facere poterat, prætermittendum eſſe, arbitra-

m) *libr.* II. *cap. de diſcretione* p. 285. *collect. vet. grammat.* ed. PVTSCHII.

bitrarentur? Temporibus Adriani Nicanor, grammaticus et criticus Alexandrinus, vixit, qui eamdem laudabilem operam ſuſcepit, ac de hac criticorum officii parte optime meruit. Teſtatur de eo SVIDAS *n*) his verbis: Νικάνωρ, Ἀλεξανδρεὺς γραμματικὸς· ἔγραψε περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ, καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ. Περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου, βιβλία ἕξ. Περὶ στιγμῆς τῆς παρὰ Καλλιμάχῳ, *Nicanor, Alexandrinus grammaticus, ſcripſit de punctis apud Homerum et de differentia, quæ inde in ſenſu oritur: de interpunctione in genere: de punctis apud Callimachum.* HIERONYMVS *o*) itidem locuples teſtis eſt, grammaticos et criticos Demo-

n) *lex.* voc. Νικάνωρ *tom.* XI. p. 621. ed. KVSTERI.

o) *præf. ad Eſaiam tom.* I. *operum*, p. 474. edit. MARTIANAEI: adde CASSIODORVM *diuin. lect. cap.* XII. p. 883. Quæ diſtinctionum ratio temporibus Hieronymi vſitata fuerit, incognitum eſſe, pronuntiat MABILLONIVS de *re diplomat. libr.* I. *cap.* XI. §. 15. ſed errat. CASSIODORVS enim et ISIDORVS eam luculenter nobis ſignificant. Ille *libr. diuinar. lection.* p. 893. vbi multa de his diſtinctionibus diſputat et inter alia *prima eſt*, inquit, *media, ſecunda ſubdiſtinctio, tertia plena;* hic vero *libr.* I. *cap.* 19. *orig.* p. 15. ita ſcribit: *prima ſubdiſtinctio dicitur, eadem et comma; media diſtinctio ſequens eſt ipſa et colon, vltima diſtinctio, quæ totam ſententiam claudit, ipſa eſt periodus, quamuis non negandum ſit, apud veteres eo æuo vbiuis conſtantem diſtinctionum vſum haud fuiſſe.* Adde GODEFRIDVM abbatem Gottwicenſ. *chron. Gottwicens. tom.* I. *libr.* I. *cap.* I. §. 6. p. 22. et IVST. LIPSIVM *cent.* III. *epiſt. miſc.* 39. *tom.* II. *operum*, p. 25.

Demoſthenis et Tullii ſcripta interpunxiſſe. *Nemo*, inquit, *quum prophetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos æſtimet apud ebræos ligari, et aliquid ſimile habere de pſalmis et operibus Salomonis; ſed quod in Demoſthene et Tullio fieri ſolet, vt per cola ſcribantur et commata, qui vtique proſa et non verſibus conſcripſerunt, nos quoque, vtilitati legentium prouidentes, interpretationem nouam nouo ſcribendi genere diſtinximus.* Atque ipſo hoc Hieronymi æuo critici magis; quam antea in eo elaborarunt, vt omnia priſcorum tam Græciæ; quam Latii ſcriptorum ingenii monimenta rite diſtinguerentur. Ipſe HIERONYMVS, teſte CASSIODORO *p*), *ſimplicium fratrum conſideratione pellectus, propter eos, qui diſtinctiones non legerant, apud magiſtros ſecularium litterarum, colis et commatibus translationem ſuam, ſicut hodie legitur, diſtinxit,* quod exemplum CASSIODORVS *q*) quoque, vt ipſe de ſe profitetur, ſequutus, *reliquos codices, qui non ſunt tali diſtinctione ſignati, notariis; diligenti tamen cura ſollicitis, relegendos et*, quoad diſtinctiones, *emendandos reliquit.* Præterea critici non ſolum periodos earumque partes rite interpunxerunt; ſed etiam alia certis eiusmodi diſtinctionibus obſeruarunt. Ita in poematibus ſingulari ſigno indicare ſolebant finem ſermonis eorum, qui in illis loquebantur, id quod

p) *præf. in librum diuinar. lection.* p. 853.

q) vid. eumdem *loco memorat.*

quod luculenter ex EVSTATHIO r) patet, antiquiores criticos reprehendente, in Homero orationem Neptuni inepte claudentes. Ad ea quoque referenda ſunt, quæ de Nicanore memorauit SVIDAS s), eum ſcripſiſſe *περὶ στιγμῆς καθόλȣ*, *de interpunctione vniuerſe*, et *περὶ στιγμῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ παρὰ Καλλιμάχῳ*, *de interpunctione apud Homerum et Callimachum.* Sine dubio enim in his libris non ſolum interpunctiones antiquiorum criticorum, ad veterum ſcripta poſitas, examinauit ac diiudicauit; ſed etiam ad omnia ea animum ſuum aduertit, quæ de tota carminum recte inſtituenda diſpoſitione: de eorum partibus: de apte deſignando conſtituendoque et principio et fine ſermonis eorum, qui apud poetas paſſim loquentes introducebantur, deque aliis hanc ad rem ſpectantibus obſeruanda erant.

XIII

Præter hæc recenſita a me criticorum officia, IV. *loca in poetis, ſibi contradicentia conciliare* et V. *ea effata indicare ſtuduerunt, quæ poetæ ex aliis ſcriptoribus vel mutuati fuerant, vel ſibi ad imitandum propoſuerant.* Ad prius momentum quod ſpectat, vocarunt hanc conciliationem ipſumque, ad quem

r) vid. HOMERVM *Iliad.* o. v. 211. p. 514. edit. BARNESII.

s) *loco* ſupra *memorato*, p. 621.

quem animum aduertebant, ſententiarum conſenſum συμφωνίαν τῶν δογμάτων, vt ISAAC. CASAVBONVS *t*) monet. Multis exemplis hoc criticorum officium ex SERVIO, qui paſſim aliorum vetuſtiorum grammaticorum de locis ſibi contradicentibus ſententias memorat, aliisque, quos benignior nobis ſeruauit fortuna, antiquis interpretibus, demonſtrare poſſem; ſed taceo de illis, ne ſcriptionis huius limites tranſeam. Id ſolummodo monendum hoc loco eſſe videtur, criticos ſæpe ſe expedire non potuiſſe in conciliandis eiusmodi effatis, quæ ſibi inuicem repugnare videbantur, ac per id ſcriptores vel inconſtantiæ; vel eorum libros corruptionis nomine ſuſpectos reddidiſſe. Ita Tucca et Varus XXII. verſus *u*) ex Virgilii codice exemerunt, nullam aliam ob cauſſam, quam quod turpe eſſet viro graui et forti, feminæ iraſci et quod in illis dicta animaduerterent, quæ alii huius poetæ loco *x*) contradicere, ſibi perſuadebant. Hæc quum ita ſint, non negari poteſt, criticos, vbi in poetis dogmatum conſenſum requiſiuerunt, inſigniter ſeſe haud raro fefelliſſe. Plurimi poetæ non certæ philoſophorum ſectæ ſe addicebant; ſed in conſcribendis carminibus plures ſæpe adibant, qui ſententias inter ſe maxime diuerſas tuebantur.

t) *not. ad Suet.* p. 766. edit. GRAEVII.

u) *libr.* II. *Aeneid.* v. 567.

x) *libr.* VI. *Aeneid.* v. 510. ſq.

bantur. Quum vero ex his varia inſignia effata in carmina ſua transferrent, non aliter fieri potuit; quam vt locis diuerſis ſententias, ſibi inuicem contradicentes, amplecterentur *y*). Vbi alterum munus cogitamus, indicarunt ea loca, quæ ſcriptor alter ex altero ſumſerat; aut ad quorum imitationem ſermonem ſuum finxerat ac formauerat. Notum enim eſt, ſcriptores romanos ſibi imitandos propoſuiſſe græcos: proinde multa ex his, ſuppreſſo eorum nomine, mutuatos eſſe. Critici igitur hæc loca obſeruabant atque animaduertebant, vtrum ea recte adducta ſint et adcurata ac legitima verborum, ad quæ prouocauerant, interpretatio ſit inſtituta. Sic vituperant hunc VIRGILII *z*) verſum:

his Phædram, Pocrinque locis, moeſtamque Eriphylen
crudelis nati monſtrantem vulnera cernit

quumque obſeruant, poetam dixiſſe: *moeſtamque Eriphylen* ad imitationem verborum Homericorum: συγερὴν τ' Ἐριφύλην, reprehendunt eum, quod non recte poetæ græci mentem adſequutus hancque in rem eius verba non rite interpretatus fuiſſet. Sic Valerius Probus multa in Virgilio culpauit, quæ ex Homero ſumta et in illius poetæ latina carmina inepte translata, ipſi

P vide-

y) conf. HENR. STEPHANVS de *crit. vet. græc. et lat.* p. 141. ſq.

z) *libr.* VI. *Aeneid. v.* 445

videbantur, vt ex his GELLII *a*) verbis intelligimus: *memini, audiſſe me ex Valerii Probi diſcipulis, ſolitum eum dicere: nihil quicquam tam improſpere Virgilium ex Homero vertiſſe; quam verſus amœnisſimos, quos de Nauſicaa Homerus fecit.* Hos etiam GELLIVS recitat iisque deinde Valerii Probi cenſuram addit his verbis: *primum omnium diuerſum eſſe dicebat Probus, quod apud Homerum quidem virgo Nauſicaa, ludibunda inter familiares puellas, in locis ſolis recte atque commode confertur cum Diana, venante in iugis montium inter agreſtes deas; nequaquam autem conueniens Virgilium feciſſe, quoniam Dido in vrbe media ingrediens inter Tyrios principes, cultu atque inceſſu ſerio inſtans operi, regnisque futuris, nil eius ſimilitudinis capere poſſet, quæ luſibus atque venatibus Dianæ congruat.* Ad hæc adiungo alium GELLII *b*) locum, in quo Phauorinum de Virgilii carminibus differentem introducit, qui, poſtquam obſeruauit, multa in poetæ huius carminibus inelegantia et *minus expolita* legi, quoniam is non omnia, per mortem impeditus, relegere atque retractare potuerit, addit deinde: *in iis autem, quæ videntur retractari et corrigi debuiſſe, is maxime locus eſt, qui de monte Aetna factus eſt. Nam, quum Pindari, veteris poetæ, carmen, quod de natura atque flagrantia montis eius com-*

a) *libr.* IX. *noct. Attic. cap.* 9.

b) *libr.* XVII. *cap.* 10.

compoſitum eſt, æmulari vellet, eiusmodi ſententias et verba molitus eſt, vt Pindaro quoque ipſo, qui nimis opima pinguique eſſe facundia, exiſtimatus eſt, inſolentior hoc quidem in loco tumidiorque ſit. Ipſe GELLIVS, qui principem ſibi inter criticos locum vindicat, ea veterum poetarum latinorum, quæ ex græcorum fontibus hauſta fuerant, adcurate diiudicauit. Ita enim ipſe loquitur *c*): *quando ex poematis græcis vertendæ mutandæque ſunt inſignes ſententiæ, non ſemper aiunt enitendum, vt omnia omnino verba in eum, in quem dicta ſunt, modum vertamus. Perdunt enim gratiam pleraque, ſi quaſi inuita et recuſantia violentius transferantur. Scite igitur et conſiderate Virgilius, quum aut Homeri; aut Heſiodi; aut Apollonii; aut Parthenii; aut Callimachi; aut Theocriti; aut quorundam aliorum locos effingeret, partem reliquit: alia expresſit. Sicut nuperrime apud menſam, quum legerentur vtraque ſimul bucolica Theocriti et Virgilii, animaduertimus reliquiſſe Virgilium, quod græcum quidem mire quam ſuaue eſt; verti autem neque debuit; neque potuit. Sed enim quod ſubſtituit pro eo, quod omiſerat, non abeſt, quin iucundius lepidiusque ſit,* quibus deinde varia addit exempla, et ex iis probat, ſæpe græcorum loquendi rationes latine verti nec debuiſſe; nec apte potuiſſe. Inprimis MACROBIVS *d*) hoc

c) *libr.* VIIII. *noct. Att. cap.* 9.

d) *libr.* V. *ſaturnal. ſerm. cap.* 22.

hoc criticorum officio optime perfunctus eſt, quod ex his eius verbis abunde patet: *nomina quoque Virgilius nonnunquam ex antiquisſimis græcorum hiſtoriis mutuatur. Scitis, apud illum vnam ex comitibus Dianæ Opim vocari. Quod nomen vulgo fortaſſe temere impoſitum; vel etiam fictum putatur ab ignorantibus, ingenioſum poetam, cognomen, quod a veteribus ſcriptoribus ipſi Dianæ fuerat impoſitum, comiti eius asſignare voluiſſe*, et paulo poſt: *exceſſere omnes adytis arisque relictis dii. Hoc vnde Virgilius dixerit, nullus inquirit; ſed conſtat, illam de Euripide traxiſſe, quod in fabula Troadibus inducit Apollinem, quum Troia capienda eſſet.* Recitatis deinde poetæ græci verbis, addit: *qui verſus docent, vnde Virgilius vſurpauerit, diſcesſiſſe deos a ciuitate iam capta. Nec hoc ſine auctoritate græcæ vetuſtatis eſt, quod ait:*

Ipſa Jouis rapidum iaculata e nubibus ignem. Euripides enim inducit Mineruam, ventos contra græcorum claſſem a Neptuno petentem dicentemque, debere illum facere, quod Iupiter fecit, a quo in græcos fulmen acceperit. In eiusmodi laboribus, qui ad illuſtrationem veterum ſcriptorum: errorum notationem: codicum interpunctionem et locorum ſibi contradicentium conciliationem ſpectarunt, controuerſiæ inter criticos euitari haud potuerunt, quum diuerſas in his rebus tuerentur ſententias. Proinde ſæpe fiebat, vt alter alterum refelleret et caſtigaret.

garet. ATHENAEVS *d*) nonnunquam Ariſtarchi emendationes perſtrinxit, id quod de STRABONE quoque notum eſt, qui non ſolum Eratoſthenis; ſed et aliorum criticorum coniecturis et ſententiis ſeſe oppoſuit. Idem dicendum eſt de DIOGENE LAERTIO deque aliis græcis pariter ac romanis criticis itemque de QVINCTILIANO et GELLIO, quorum hic inprimis aliorum criticorum temerarias et frigidas obſeruationes refutat: eorum coniecturas perſtringit et poetas antiquos grauiter defendit, vt præſertim ex iis patet, quæ contra Hyginum obſeruauit *e*).

XIIII

Ad hæc enarrata criticorum officia ac munera accedunt duo alia, quæ itidem cum grammaticis communia habuerunt. Critici enim non ſolum VI. *bibliothecis præfecti fuerunt*; ſed etiam VII. *ſcholas habuerunt*, atque in illis priſca ingeniorum monimenta grammatice et critice interpretati ſunt. Ad bibliothecas quod attinet, ſatis cognitum eſt, vt ex multis pauca bre-

 uitatis

d) *libr.* IIII. *dipnoſoph. cap.* 28.

e) *libr.* V. *noct. Attic. cap.* 8. adde IO. WOWERIVM *polym. cap.* XVIII. p. 199. LVDOLPH. KVSTERVM *hiſt. crit. Homer.* p. 104. et quæ ex EVSTATHIO adfert IOS. BARNESIVS *tom.* II. *oper. Homeri*, p. 626.

uitatis cauſa exhibeamus, Demetrium Phalereum et Zenodotum, nobiles criticos, bibliothecæ Alexandrinæ præfuiſſe, id quod de illo TERTVLLIANVS *e*); de hoc vero SVIDAS *f*) memorat. Romanos vbi cogitamus, Iulius Cæſar Varroni prouinciam dedit, bibliothecas conſtituendi *g*). Caio Iul. Hygino cura bibliothecæ palatinæ, quæ Romæ fuit, commiſſa credītaque fuit *h*) et Caius Meliſſus, haud minoris famæ criticus, libros in Octauiæ porticu in ordinem redegit *i*), ne dicam de Cicerone, qui ſuum librorum adparatum rite diſponendum Tyrannioni critico, ex Græcia Romam delato, tradidit *k*). De reliquis criticis, quos bibliothecis præpoſitos nouimus, taceo *l*). Nec cauſſa longe repetenda eſſe, videtur, quare negotium hoc criticis potisſimum apud veteres datum fuerit. Iſti enim de priſcis auctoribus omnium optime iudicare: fetus germanos ab adulterinis; hos vero

e) *apologet. cap.* XVII.

f) *lexic.* voc. Ζηνοδότος.

g) vid. SVETONIVM *vit. Caeſ. cap.* XLIIII.

h) vid. eumdem de *illuſtr. grammat. cap.* XX.

i) ibid. *cap.* XXI.

k) *libr.* IIII. *epiſt.* 4. et 8. *ad Attic.* et *libr.* III. *epiſt.* 4. et 5. *ad Q. Fratrem.*

l) conf. IO. WOWERIVM *polymat. cap.* XVI. p. 173. CHRIST. FALSTERVM *quæſtion. rom.* p. 174. SAM. PITISCVM *lex. antiquit. rom. tom.* II. p. 253. et IO. NIC. FVNCCIVM de *ſcriptur. vet. cap.* VIII. §. 29. p. 322.

vero a dubiis rite ſecernere didicerant, cnius rei inprimis ratio habebatur apud eos, qui libros ſibi comparabant ac colligebant. Præterea ſupra iam obſeruatum eſt, veterum poetarum et inprimis Homeri carmina non ita rite diſpoſita ac in ordinem redacta apud antiquos fuiſſe, quemadmodum ea nunc habemus. Omnia diſperſa circumferebantur et alia in his: alia in illis latebant vrbibus. Per id fiebat, vt multa adulterina irreperent; quod vero omni modo impedire ſimulque germana ingeniorum monimenta integra conſeruare atque ab interitu vindicare, ſtudebat Romanorum criticorum cohors. Proinde nemini melius ac tutius commendanda videbatur bibliothecarum cura; quam doctis his criticis, qui ſingulos auctorum libros apte colligere: eos ad certum ordinem ac claſſes redigere: diſciſſa coniungere: male coniuncta ſeparare: germana ab adulterinis ſecernere, et ſingulis ſcriptoribus proprios ingenii fetus vindicare didicerant, id quod præter ea, quæ ſupra de Solone, Piſiſtrato, Hipparcho aliisque memoriæ prodidi, abunde ex teſtimoniis, a IO. WOWERIO *m*) et ANDR. CHRIST. ESCHENBACHIO *n*) collectis, liquet. Scholas quoque criticos habuiſſe, eſt notisſimum. Apud XENOPHONTEM *o*) Socrates

 Nicera-

m) *polymath.* p. 201. ſq.
n) *diſſert. acad.* p. 234.
o) *ſympoſ. cap.* III. §. 5. *tom.* I. *oper.* p. 143. ed. Oxon.

Niceratum ita adloquitur: *σὺ δὲ Στησιμβρότῳ τὲ καὶ Ἀναξιμάνδρῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς πολὺ δέδωκας ἀργύριον ὥστε οὐδέν σε τῶν πολλοῦ ἀξίων λέληθε, tu Steſimbroto et Anaximandro multam dediſti pecuniam, itaque nihil eorum, quæ magni facienda, te fugit.* AESCHINES *Socraticus p*) ad claſſem eorum, qui pueros diſciplinas liberales docent, etiam criticos refert. PHILOSTRATVS *q*) memorat, Herodem athenienſem ſophiſtam Theagenis Cnidii et Munatii Trallenſis criticorum inſtitutionibus vſum eſſe; SVETONIVS vero *r*), quum de Valerio Probo tradit, eum nunquam ita docuiſſe, vt magiſtri perſonam ſuſtinuerit, aperte indicat, alios criticos erudiendi prouinciam in ſe ſuſcepiſſe. Primus, qui Romæ iuuenes altiora grammatices ſtudia, criticam videlicet, docuit, Crates Mallotes fuit, vt SVETONIVS *s*) teſtatur, de cuius inſigni effato ſupra *t*) iam copioſe expoſui. SVETONIO non repugnat PLVTARCHVS *u*), ſi Spurium Caruilium primum fuiſſe, adfirmat, qui Romæ iuuenes inſtituerit; nec CICERO *x*) ipſi

p) *dialog.* III. *de mort. cap.* VII. p. 95. ed. CLERICI.

q) de *vit. ſopiſt.* p. 564. ed. OLEARII: adde VALESIVM de *crit. libr.* I. *cap.* 2. p. 149.

r) de *illuſtr. grammat. cap.* XXIIII

s) eod. *libro*, *cap.* II.

t) *diſſ. de ort. et progr. art. crit.* p. 21.

u) *ῥωμαϊκοῖς*, *tom.* II. *operum*, p 278.

x) de *claris orator. cap.* XVIII.

ipſi contradicit, qui idem fere de Liuio Andronico habet, quod PLVTARCHVS de Spurio Caruilio et SVETONIVS de Cratete Mallote tradunt. PLVTARCHVS enim de iis loquitur, qui publice, propoſitis ſalariis et promiſſa ampla mercede, munus hoc obierunt; inter hos vero Spurius Caruilius primus exſtitit. CICERO aliique de primis litterarum magiſtris, quos græci *grammatiſtas* vocant; SVETONIVS autem de perfectioribus grammatices ſtudiis, de critices diſciplina diſſerunt ac, quæ illius in hac vrbe prima initia fuerint, docent. In SVETONII loco *y*) velim notari, quæ de Cratete dicat, eum *per omne legationis ſimul et valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις feciſſe adſidueque diſſeruiſſe.* Acroaſes enim philoſophorum et rhetorum propriæ erant; quoniam autem grammaticorum ſcholæ ad eiusmodi acroaſium ſimilitudinem accedebant, et critici inprimis rhetoricæ quoque ſtudia ſua conſecrabant, etiam horum inſtitutiones eo nomine inſignitæ ſunt. In eiusmodi ſcholis criticorum græci præcipue ſcriptores, maxime poetæ, illuſtrabantur. Explicabant, quum in illis grammaticorum potisſimum perſonam induerent, obſcuriores voces ac loquendi formulas: notabant ambigue dicta et quæ reprehenſione ipſis digna videban-

 tur:

y) de *illuſtr. grammat. cap.* 11.

tur: iudicabant de ſcriptoris ſui ætate ſcribendique vitiis ac virtutibus, ac, vt paucis multa complectar, priſcis ingeniorum monimentis ex hiſtoria antiqua, geographia, antiquitatibus aliisque diſciplinis lucem accendebant, haud omisſis iis, quæ de emendatione, corruptis locis, gloſſematibus cet. obſeruanda erant. Sæpe eos priuatim quoque litterarum harum cultores adibant ac de obſcurioribus locis deque aliis criticis quæſtionibus conſulebant, vt ex his GELLII verbis z) liquet: *memini, me quondam et Celſinum Iulianum Numidam, ad Frontonem Cornelium, pedes tunc grauiter ægrum, ire viſere, atque ibi, qui introducti ſumus, offendimus eum cubantem in ſympodio Græcienſi, circumundique ſedentibus multis, doctrina; aut genere; aut fortuna nobilibus viris*, et alio loco *a*): *redeuntes Græcia, Brunduſium nauem aduertimus. Ibi quiſpiam linguæ latinæ litterator, Roma a Brunduſinis accerſitus, experiundum ſeſe vulgo dabat. Imus ad eum nos quoque oblectamenti gratia.*

XV

QVID? quod et critici VIII. *carminum recitationibus præfecti fuerunt.* Supra iam obſerua-

z) *libr.* XVIIII. *noct. Attic. cap.* 10.

a) *libr.* XVI. *cap.* 6.

ſeruaui *b*), poetas atque oratores elaborata ingenii ſui ſpecimina publice in magno hominum conſeſſu prælegiſſe, vt hi de virtutibus ac vitiis recitantium rite iudicarent, ac quæ in illis, antea quam in lucem emitterentur, emendanda eſſent, ſincere dicerent. His recitationibus poetarum haud raro præfecti erant iudices, qui vires cuiuscunque poetæ probarent, ac, conſtitutis ſingularibus præmiis, ſententiam de recitatis poematibus ferrent, quæ videlicet laude et præmiis eſſent digna; quæ vero non. Atque his certaminibus non ſolum grammatici; ſed inprimis quoque critici præerant, ad quod probandum vnicum veteris HORATII *ſcholiaſtis c*) teſtimonium ſufficit. *Metius Tarpa fuit iudex criticus auditor adſiduus poematum et poetarum in æde Apollinis; ſeu muſarum, quo conuenire ſolebant poetæ ſuaque ſcripta recitare, quæ niſi a Tarpa; aut alio critico, qui numero erant quinque, probarentur, in ſcenam non deferebantur*, cui ea addi poſſunt, quæ ſupra de his poetarum recitationibus commemorata ſunt. Ipſos criticos nonnunquam declamaſſe atque in eo a reliquo grammaticorum coetu ſeſe disiunxiſſe, ex POLYBIO probauit HENR. VALESIVS *d*).

Nec

b) ad *libr.* I. *ſat.* 10. §. XX. p. 43.

c) vid. *diſſ. de ortu et progreſſ. art. crit. apud. vet. rom.*

d) *de critic.* p. 149.

Nec prætereundum eſt, VIIII. criticos nonnunquam *veteres Græcos ſcriptores in latinam transtuliſſe linguam.* Ita CAESAR *Germanicus*, quem ſupra criticis adnumeraui, *Aratum:* RVSTICVS IVLIANVS Ariſtotelis *libros* περὶ πολιτειων, VETTIVS *prætextatus* eiusdem philoſophi *libros analyticorum*, alii alia veteris Græciæ ingerum monimenta latino ſermoni reddiderunt.

INDEX
RERVM

A

ACCENTVS a quonam inuenti? 208
Adclamandi formulæ 60
Adiurationes librariorum 105
Adnotare quid? 196
Adnotata quid? 150
horum varia genera 148
Adraſtus quomodo Ariſtotelis ſcripta percenſuerit? 125
Adulterina ſcripta vnde? 94. 108. eorum damnum in ciuitate chriſtiana 93. ſq. quando remoueri coepta? 59. quomodo? 135
Amanuenſes quare ſic dicti? 96
Ambigue dicta a criticis obſeruata 199
ANDRONICVS *Rhodius* criticus 68
Annales FABII ſine mendis 159
Antigraphus 149
Antiquarii vnde ita dicti? 96
Antiſigma 149
ANTONIVS græce doctus 84
Ἀποσημειοῦν quid? 150
ARATVS a quo verſus? 27. 68. ſq.
Argiletum 100
ARISTARCHVS quis? 33. ſq. eius auctoritas 146. eius critica qualis? 35
ARISTOPHANES quis? 33. eius præceptores 27
ARISTOTELES num criticus et grammaticus fuerit primus? 24. a quo hauſerit? *ibid.* num categoriarum auctor? 137
Ars critica quomodo comparata? 7. grammatica quid? 6. *hiſtorica* quid? 6. *philoſophica* quid? *ibid.* ἀθετητικὴ et διορθωτικὴ quomodo orta? 65. quando apud Græcos iam floruerit? 12. ſq. quænam SOCRATIS tempore fuerit? 13. quare excolenda? 10. quare neceſſaria? 76. eius origo 10. 12. 16. 17. 24. certitudo 10. limites 2. vtili-

z. vtilitas 9. ſq. 49. ad quam diſciplinam referatur? 8. 36. cur fere ſuppreſſa? 46. quare a Romanis exculta? 47. 55. quando? 23. a quo? 23. 30. eius initia quae? 43. quænam temporibus ENNII? 30. SVLLAE 45. poſt eum? 47. poſt CRATETEM MALLOTEM 43. ſeculo III. et IIII. 76. quare diſciplinis grammaticis adnumerata? 183. 193

ASCONIVS PEDIANVS criticus 69

ASINIVS POLLIO criticus 72

Aſteriſcus 149

ATTEIVS eloquentiam cum grammatica coniunxit 188

Auctores a criticis emendati 83. in ordinem redacti 115. a grammaticis illuſtrati 139. græci lecti 86. librorum ſuorum ipſi corruptores 153. quare ſcripta ſua aliis interdum vindicarint? 112

AVGVSTVS græce doctus 84

Α᾽υτόγραφα a PTOLOMAEO quæſita 155. eorum dignitas 97. 155

Α᾽ξίοχος dialogus a quo ſcriptus? 87

B

Βιβλιογράφοι qui? 95

Bibliopolæ quomodo a librariis differant? 95. auari 106. eorum fraudes 94. 101. 108

Bibliopolia vbi? 89. 101

Bibliotheca, *Alexandrina* 25. AEMILII 57. ARISTOTELIS, 53. CICERONIS 57. LVCVLLI, *ibid.* *octauia*, 57. eius præfectus, *ibid.* *palatina*, *ibid.* eius præfectus, *ibid.*

Bibliothecæ quotuplices? 57. publicæ primæ conditor, *ibid.* vbi poſitæ, *ibid.* et 100. quomodo artem criticam promouerint? 58

Bœotiae comœdiae auctor quis? 136

Breuiaria 149

C

CAESAR C. Iul. fuit criticus 68

- - *Germanicus* ibid.

Calculatores qui? 186

Calculones qui? *ibid.* vnde dicti? *ibid.*

CALLIMACHVS num commentarios in *Homerum* ſcripſerit? 27

Capita in ſcriptis veterum 146

Carmina

Carmina HOMERI adſeruata 16. collecta, *ibid.* explicata 14. in ordinem redacta 16. memoriæ mandata 14
Carmina quomodo decantata? 19. a quibus? 16. 17.
Caſtigationes criticorum 200
Cauculones 187
Cautiones criticorum 120. ſqq.
Characteres ſcribendi 102. iis corrupti libri *ibid.*
CHARES quale diſcrimen critici et grammatici ſtatuat? 192
CICERO græce doctus 84. criticus 67. præter ſcholas frequentans 55
CLAVDIVS græcæ linguæ amans 84
CLERICVS quid ad officia criticorum referat? 2. quid de arte critica eius ſtatuendum? *ibid.* quomodo probet antiquitatem artis criticæ? 14. ſq. interpunctionum 208
Collectanea 149
Comicorum licentia apud Athenienſes 11
Codex VIRGILII fide dignus 92. 164 *mediſeus* 167
Codices cum ἀυτογράφῳ collati 97. quo pacto ab auctoribus corrupti? 153. quid ipſi ad corruptionem contulerint? 154. emendati magni pretii 166. a criticis quæſiti 159. eis adiecta conſulum nomina 167
Commentarii 149. in orationes CICERONIS 70. a criticis iterum corrupti 165
Commentationes quid? 121
Committere quid? 62. vnde? *ibid.*
Comœdia Plauto falſo tributæ 128. quæ eius ſint 117
Coniecturæ leues criticorum 112
Conſulum nomina codicibus adſcripta 167
Controuerſiæ criticorum 158
Corruptionis librorum cauſæ 76. 153. ſq.
CRATETIS Mallotis vita 40
Criphia 149
Critica vid. ars critica
Critici quare ſic adpellati? 172. quando *ibid.* et 13. quomodo differant a grammaticis? 175 ſqq. a philologis 7. apud Græcos notum eorum nomen 12. qui? 37 exegetici *ib.* hiſtorici *ib.* technici *ib.* græci 12. eis Romani multum debent 13. quasnam diſciplinas excoluerint? 40. ſq. quare rhetoricam? 50. poetarum iudices dicti 173. quare 32. 174. quare cenſores

cenſores adpellati? 174. exemplorum multorum vnius libri amatores 152. germanos libros conſeruare ſtuduerunt 120. latine et græce docti 193. quomodo legerint? 44 ab ementibus libros in conſilium adhibiti 159. eorum opera 45. et nomina codicibus emendatis ſubſcripta 59 quibus rebus auctores dignouerint? 135. eorum cenſoria virgula 52 quinam celebres? 66. ſqq. primus qui? 23. eorum officia 17. 33. 51. 80. 113. 156. 170 etc. 157. 165. ſq. 171. merita 81. 84. quos auctores correxerint? 83. ad grammaticorum claſſem referendi 175. indicum concinnatores 159. rhetores 47. vitiorum auctores 154 82. 87. 157. 162. 201. propter voces rariores 162. eorum impedimenta 162. diuerſæ ſententiæ 88 conſuetudo libros comparandi, ibi hæſitationes 200. critica ſigna 73. quod grammatici fuerint 175. decori obſeruantes 205

Culpæ quid? 156

D

Deculpata loca quæ? 156

Dictata 154. per ea corrupti codici 54

Differentia grammaticorum 37. et criticorum 79. librariorum et bibliopolarum 94. nec non inter litteratos et litteratores 187

DIONYSIVM *Halicarnaſſeum* criticum fuiſſe 118

διορθώσεις homericæ 157

Diſciplinæ Romanorum quæ? 28

Diſcipuli ARISTOTELIS quid fecerint? 110

Diſpoſitiones ſæpe a criticis notatæ 204.

Diſtinctiones 148. in capita Romani primo non adhibuerunt 124. per puncta 206

δόρυ quid? 146

E

Elementa prima quid? 185

Ἕλληνες qui tempore HOMERI? 143

Eloquentia quibus adminiculis comparanda? 49. præcipuum Romanorum ſtudium 50

Emendatio amicorum cauſſa 168. probabili quando vtendum? 161. in HOMERVM 157

Emendator primus HOMERI 22

Enarratio poetarum 179

ENNIVS

ENNIVS quando mortuus? 42
Ἐπώνυμα auctorum controuerſiarum cauſſæ 110
Errores criticorum. *vid critici.* eorum nonnullorum cauſſæ 111. ſq.
Eruditi qui? 179. eorum priuilegia. 65
Ethica ARISTOTELIS cui tributa? 87

F.

FAVORINVS apud GELLIVM qui? 76
Fines grammaticæ et criticæ cur varie definiantur. 192
Forum CAESARIS 100
Fraudes bibliopolarum et librariorum 94. 101. ipſorum ſcriptorum 111
Frigus quid? 62

G.

GELLIVS criticus. 74
Geometra. 13
Gloſſæ quid? 26. 139. 141. 192. quotuplices? 139. vbi ſcriptæ? 140. a quibus? 141. proſcriptæ. 142. corruptæ. 164. a commentariis diſtinguendæ. 141
Gloſſariorum origo. 140. ſubſidia. 82
Gloſſemata, a quibus addita? 139. quommodo cum textu permixta? *ibid.* quo pacto diſtincta? 152. quare? 182. quando remota? 58
Grammatica quotuplex. 279 185 *rudis* quid? *ib.* *politior* quid? *ibid.* *exegetica ibid.* quare a Romanis exculta? 30. CRATETIS quid? 32. eius differentia apud Græcos et Romanos, ib. eius partes apud veteres 189. ſqq. origo ad Platonem relata. 24. quare a critica ſeparetur? 179. eius indoles 179. fines. 192
Grammatici 81. 197. *exegetici* qui? 37. 80. hiſtorici. *ibid.* technici, *ibid.* quare multis rebus debiti? 189. critici 37. 188. indicum artifices 125. docti quid præſtiterint? 187. quos ita dixerit NEPOS. 181. quid de iis SENECA exiſtimarit. 179. grammatici rhetores 188. eorum quæſtiones dubiæ 141. ordines. 37. differentiæ 37. 189. inſcitia 112. munera 36. ſqq. 101. 179. *latini* 193. *græci ibid.* quare eis nomen criticorum tributum. 178. 184. quid docuerint. 193. *illuſtres* 189. *nobilis-*

nobiliſſimi ibid. perfectiſſimi ibid. litteratiſſimi ib.
Grammatiſtæ 186. cuius conditionis? *ibid.* num cauculones dicti? 187. vbi verſati ſint? 31. quomodo differant a grammaticis 187. ſæpe imperiti 181.
Græca lingua exculta a Romanis 48. 84. ſq. quis docuerit. 193. carmina lecta. 49
Græci ante inuenta puncta quomodo ſcripſerint 206. ſcriptores *græci* emendati 86. eorum merita in criticam. 157
Græcia criticorum ferax. 56
Græciſmi intempeſtiue ſuſpecti. 162

H.

HERACLITI ſtilus qualis. 208
HERMAGORAE libri. 135.
HIERONYMVS prophetas diſtinxit verſibus. 222
HIGINVS 71. cenſor VIRGILII 203. eius commentarii in VIRGILIVM. 71
HIPPARCHVS num carmina HOMERI emendauerit. 21
HIPPOCRATES corruptus et emendatus. 160.
Hiſtoria a Romanis exculta. 29
Hiſtorici græci lecti. 49
HOMERVS an in ſcholis lectus. 48. a criticis emendatus 86. a CRATETE 40. eius corruptores 19. 20. 35. patria 20. primus emendator 22. ſq. carmina lacerata 86. effigies in nummo 20. carmina a quo in ordinem redacta. 35
HORATIVS a criticis notatus 205. caſtigatus 199. eius emendator. 166
Hypolemniſcus 149

I.

Ilias HOMERI emendata quanti ab Alexandro M. æſtimata. 22. Eius liber X. cur criticis eximendus viſus. 93
Illuſtratio veterum ſcriptorum quomodo inſtituta 194
Imperatores critici. 68
Imprecationes libris additae. 105
Indices quomodo dicti. 124. quotuplicis generis. 124. a quibusnam exarati. 123. eorum ratio. 128. dignitas. 129. LAMPRIAE. 126
Inſcriptiones librorum a quo profectæ. 121. quando libris datæ, 89. 107. falſæ, 106. eæ deletæ 120. fictæ quædam. 89

Inter-

Interpretationes falſæ quid effecerint. 164
Interpretes poetarum. 179
Interpunctiones 211. eas SENECA amat. 219. a CICERONE earum mentio facta. 212
Indices poetarum. 60. eorum nomen vnde. 67. *Indices* Athenienſium proponenda in theatro excutientes. 11. *Indices* critici 173

K.

Κρίνειν quid apud veteres. 172
Κριτικοί. 173
Κριτοὶ πέντε græcorum 64

L.

Labyrinthus. 122
Lacunæ a criticis reſarcitæ. 152
Lectiones variantes vnde. 102. peruerſe mutatæ. 163
Legere, quid criticis fuerit. 44
Lemniſcus. 149
Lexica in veteres auctores. 141. eorum origo. 140. ſubſidia ad conficienda ea. 82
Liberales diſciplinæ quomodo SVLLAE tempore excultæ. 47
Libraria. 98
Librariæ. 97
Librarii veteres qui. 95. quotuplicis generis. 97. cuius conditionis. 95. eorum officia. 56. 97. quare dicti *ad manum.* 96. eorum maxima pars rudis 102. negligentia. 103. fraudes 94. librorum corruptionis cauſſa. 154.
Libri falſo aliis tributi. 87. falſo inſcripti quomodo a criticis ſubmoti. 88. quando falſo inſcribi coepti. 89. falſo ad adulterinos relati. 112. a criticis reſtituti. 119. et in ordinem redacti 51. NELEI abſconditi. 53. ARISTOTELIS 53. ad religionem ſpectantes eruditis conceſſi. 66. περὶ ἑρμηνείας auctor quis. 25. περὶ εὐγενείας quis auctor. 16. 87. περὶ ἡδονῆς. *ibid.* μέγας διακοσμὸς 82. περιήγησις ἐκατταία μιλησία. 26. περὶ τοῦ παντὸς auctor quis. 122
Lingua quanam magiſtratus in cauſſis forenſibus vſus. 84. latina a CONSTANTINO Niceæ adhibita. *ibid.*
Litterariæ peregrinationes. 56
Litterarius quis. 186
Litterati quommodo a litteratoribus differant. 181.

qui? ibid. 189. 197. officia. 181
Litteratio quid. 185
Litterator quis. 186
Litteratura 179. 197
Litterio quis. 186
Λογοφίλοι. 8
LONGINVS (*Dionyſ.*) criticus. 76
Ludi poetarum. 173
Ludimagiſtri qui. 186. num critici tales fuerint. 184

M.

MACROBIVS VIRGILII cenſor. 204
Magiſter primus. 186. quis fuerit. 232. ad prima elementa. *ibid.* litterarum 47. 85. græcarum. *ibid*
MALLOTES decem 109
Maſoretha num criticæ auctores. 85
Mathematica a quibus explicata. 198
Memoriales libri. 149
Mulieres librariæ. 97

N.

Νάννιον 92
NEPOS (*Corn.*) quid diſputet in libro, quo litteratum ab erudito diſtinguit. 180. libri huius inſcriptio vera quæ? *ibid.*
NICANOR de punctis ſcriptor. 221. 223. quid tradiderit. *ibid.*
NICIAS quos verſus admiſerit. 145
Nominum ſimilitudo fraudis cauſſa. 108. *vid. ſubſcriptio.*
Notæ criticorum 149
Numeri quomodo a librariis expreſſi. 104
Nummus cum ſphinge et effigie HOMERI. 20

O.

Obelus quid. 146. eius vſus. *ibid.* vnde ſic dictus. *ibidem.*
Ὀβελίζειν quid. 146
Obſeruationes grammaticorum. 141
Obſeruatores qui. 87
Ὀμηρισαί. 18
Orationes falſo inſcriptæ. 92. de HEGESIPPO num DEMOSTHENIS ſint. 138
Oratores romanorum celebres. 29
Oratoria ars a Romanis exculta. 28

P.

Pandectæ Florentinæ. 213. earum interpunctiones. *ibid.*
Parentum in filios cura. 48
Parthenopæum. 92
Peregrinationes in Græciam. 56
PERICLIS ſcripta qualia. 116

Philolog

Philologi qui. 117. 181. 197. officia 8. nomen honorificum. 197. quinam illud affectarint. 197
Philoſophi ex vrbe pulſi 45. poetarum lectores. 22
Philoſophia Romæ exculta. 28 quando a pueris coli coepta. 48
Phonaſci qui. 85
Πίναξ παντοδαπῶν συγγραμμάτων quid contineat. 128
PISISTRATVS num HOMERVM emendandum curauerit. 21. 35
Poemata, in iis ſermones loquentium ſingulari figura clauſi. 222
Poeſis Romæ exculta. 28
Poetæ celebres veteres. 28. *græci* a Romanis lecti 48. *latini* a criticis ſanati. 86.
Poetarum iudices 117. 174. eorum verba notata. 203. plurimi non certæ ſectæ philoſophorum addicti. 224
Polybiſtores qui? 189
Praemia eruditorum. 47. oratorum 62. poetarum. *ibid.* recitantium. 64
Præceptores. 49. 85. græcarum litterarum. 83
Præpoſiti bibliothecis. 230. *vid. biblioth.*
Principes cum eruditis verſantes. 47
Pretia librorum quare varia. 155. magna librorum antiquorum. 89. adcurate ſcriptorum 98. manu ſcriptorum. 155. a criticis conſtituta. 156.
PROBVS (*Valer.*) criticus 195. ſeq. grammaticus. *ibid.* quomodo voces: Asdrubal, Hamilcar, Hannibal pronuntiauerit. *ib.* Eius puncta. 74 codicum exemplaria diſtinxit. 216. ſq.
PTOLEMAEVS HOMERI carmina emendanda ſuſcipiens. 35
Pueri in ſcholis. 48

Q.

Quaſtiones dubiæ grammaticorum. 141. homericæ Ariſtotelis. 24
QVINCTILIANVS criticus. 75. quas partes grammaticæ ſtatuerit. 190

R.

ῥάβδος. 18. ſq. 146.
ῥαβδῳδοί. 18
ῥαβδοῦχοι. *ibid.*
ῥαψῳδὸς vocis origo. *ibid.* qui. 17. ſq. SOLONIS tempore. 20. quid fecerint. 17. quare ſic adpellati. 19 eorum licentia a quo præciſa. 20. ſq.
ῥάπτειν quid. 18.
Recenſiones librorum. 125.

 127

127. Comœdiarum PLAVTI. *ibid.*
Recitationes 59. quando inceptæ. 59. a quibus inſtitutæ. 67
Rhetores critici. 46. ſeq. ex vrbe pulſi. 45
Rhetoricam quando didicerint romani. 48
ROBORTELLI (*Fr.*) præcepta critica quæ. 3
Romani quibus rebus ad ſtudia litterarum excitati. 48

S.

Salaminæ antiquitas. 144
Sandaliarius vicus. 100
Scholæ. 47. criticorum. 67. 231. quid in iis explicatum. 235
Scribæ publici. 95. priuati. *ibid.* eorum negligentia quæ vitia genuerit. 153
Scripta ante inuenta ſigna quomodo comparata. 74
Sectæ criticorum et grammaticorum. 35
SENECA criticus. 72. qualis. 199. caſtigator iniuſtus. 200. quas grammaticæ partes ſtatuat. 190. codices interpunxit. 220
SEXTVS EMPIRICVS quas partes grammaticæ ſtatuat. 190. quid criticæ tribuat. 102. quid de officiis criticorum et grammaticorum ſtatuat. 195
Sigillaria quid. 99. vnde nomen. *ibid.*
Signa a quo inuenta. 74. diſtinctionum. 209. ſqq.
σισυφος σατυρικος. 91
Smyrna Cinni. 54
SOLON quare verſus inſeruerit HOMERI ſcriptis. 144
Στιγμὴ μεση. 209. τελει ος. *ibid.*
Stili diuerſitas criticis iudicio. 132. *ſtili Ariſtotelici* characteres. 133. *ſtilus* HERACLITI. 208
Studiorum ratio apud Romanos. 48
Σημειωσις quid. 150
Subdiſtinctiones. 148. 211
Subſcriptiones nominum. 166. falſae a criticis deletae 120
Subſidia criticorum. 151
Συγκρισις quid. 66. vnde. *ibid.*
Summaria. 149
Συμφωνία των δογμάτων quid. 224
Συνοχος. 132
Suppoſita ſcripta 90. vnde. 94

T.

Tabernæ bibliopolarum. 99. *argiletanæ*. 101
Technicæ voces a grammaticis illuſtratæ. 139
Theatrum MARCELLI. 100

Tituli

Tituli librorum ianuis adfixi. 99. 121. *varii* librorum de x. prædicam. ARISTOTELIS. 122
Tragicorum licentia apud Athenienſes. 55
TVCCA criticus. 92

V.

VALERIVS MESSALA CORVINVS criticus. 67
VALESIVS (*Henr.*) quid in arte critica proponat. 5
VARRO criticus. 67. quas partes grammaticæ ſtatuat. 190
VARVS criticus. 92
Verſus τῦ ποιητῦ quid. 145. παρεμβεβλημένοι quid. 145. adulterini quo pacto prohibiti. 129. a criticis ſublati. 149. pro adulterinis habiti. 114. 142. 151. 201. ſemipleni. 144. a rhapſodis compoſiti. 19
VIRGILIVS a criticis caſtigatus 199. notatus 203. 225. ſq. eius commentatores. 71
WOWERIVS num plagiarius. 9

Z.

ZENO. 141
ZENODOTVS num primus HOMERVM emendauerit. 22. quis fuerit. 25. ſq. 142. 157
Ζητήματα grammaticorum quæ? 141

ERRATA.

p. 56. lin. 11. lege *peregrinationes.*
p. 60. lin. 17. - *euge.*
p. 63. lin. 10. - *ſic.*
p. 82. lin. 17. - *magnam.*
p. 112. lin. 27. - *exſtiterunt.*
p. 148. lin. 19. - *dicitur.*
p. 172. not. lin. 12. l. p. 23.
p. 183. lin. 13. - *arte grammatica.*
p. 184. not. lin. 32. l. *pueros.*
p. 225. lin. 12. - *mutuatos.*

J. Lindblom illustrationes linguae Roman.,
ad critic. Sect. I. (fluxus e prodiis
fr. [illegible]) Upsal. 1772. 22 S. 8.
Lindroden T. I. S. 137. Anmerk. S. ff
fand sich von

Crates Mallotes
Spurius Carvilius
M. Ant. Gnipho
Jul. Caesar
Cicero
Lucius Ateius
M. Terentius Varro
P. Nigidius Figulus
Curtius Nicias
Verrius Flaccus.

005668031